Commentationes biblicae

IV

Babyloniorum auctoritas quantum apud antiquos Israelitas valuerit

Scripsit

Franciscus Xav. Kortleitner

Ord. Praem.



1930

Oeniponte. Typis et sumptibus Feliciani Rauch.

Nr. 2115

Imprimatur

Administratura Apostolica

Oeniponte, die 16. Aprilis 1930

L. S.

Urb. Draxl
Prov.

Imprimatur

Wiltinae, die 16. Aprilis 1930

L. S.

Henricus Schuler
Abbas Ord. Praem.

L. S.

Babyloniorum cultus humanus, qui quam antiquus et longe lateque diffusus fuerit, paucis decenniis ante nemo scivit, nunc amplis effossionibus et impigris rerum orientalium studiis satis notus est. Iam multo ante gentium Semiticarum in Babyloniam immigrationem, quam quarto a. Ch. n. millennio initium cepisse verisimile est, ibi gens originis non Semiticae, quam viri docti nomine Sumeriorum significant, habitavit et cultu atque humanitate floruit. Ex inscriptionibus autem regum antiquorum Babyloniorum, quarum plurimae linguâ illius gentis (linguâ Sumericâ, quae vocatur) confectae sunt, de opulentis urbibus et regnis, de ingentibus operibus et longinquis expeditionibus principum, de diis, sacerdotibus cultusque formis eius gentis cognoscimus. Praeterea multa litterarum monumenta, quae e posteriore parte tertii millennii ad aetatem nostram pervenerunt, diligentissimae administrationis rerum publicarum, subtilis iurisdictionis, agriculturae et mercaturae mire excultae, operum egregiorum, variarum artium eius gentis testes sunt. Quae omnia victores Semitici a Sumeriis receperunt. Atque ex inscriptionibus regum primae domus regnatricis Babyloniae perspicimus coniunctionem cultus Sumerici et cultus Semitici, quae sensim fiebat, iam perfectam esse. Neque quisquam hodie dubitat, quin iam temporibus regum Šarrukîn et Narâm-Sin (priore parte tertii a. Ch. n. millennii), qui imperium ab Elam usque ad mare mediterraneum propagarunt, Babyloniorum cultus atque humanitas ad totam Asiam anteriorem pertinuerit. Ḫammurapi autem urbem Babel caput eius fecit. Ibi opiniones religionis et formae cultus, consuetudines iuris, scriptura et lingua Sumeriorum custodiebantur et colebantur. Ex necessitudinibus vero, quae Babyloniis cum oriente anteriore intercedebant, imprimis autem ex eorum sermone, quem iam medio secundo

a. Ch. n. millennio in Asia minore, Palaestina, Aegypto, Cypro notum et certe in principum aulis usitatum fuisse epistulae Amarna testantur, haud dubie multa quoque ex Babyloniorum cultu humano ad incolas earum terrarum translata sunt. Cultum quidem atque humanitatem omnium terrarum Asiae anterioris iam per saecula in Babyloniis positam fuisse effossionibus recentioris aetatis satis superque demonstratum est.

Quae cum ita sint, quaeritur, Babyloniorumne auctoritas etiam ad gentem Israeliticam pertinuerit et quatenus id factum sit. Quae exponere huic libello propositum est.

Scripsi Oeniponte Kalendis Majis 1930.

F. X. K.

Conspectus rerum

Ex antiquissimis temporibus quattuor populi (Babylonii-Assyrii, Aegyptii, Arabes, Hethaei) ad cultum humanitatemque incolarum Palaestinae, Cananaeorum et Israelitarum, vehementer pertinuerunt 1—4. Hîc tantum quaeritur, quantum Babyloniorum auctoritas apud antiquos Israelitas valuerit 4—5

Pars prior

Opinionem illam Cananaeos ante Israelitarum in eorum terram immigrationem solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos et rectos esse prorsus falsam esse demonstratur

Auctoritatem Babyloniorum iam antiquissimis temporibus in terris Asiae anterioris magnam fuisse constat. Quare negari non potest ad Israelitas quoque nonnulla a Babyloniis pervenire potuisse eaque Cananaeis intercedentibus 5—11. Opinionem autem Cananaeos solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos esse a vero abhorrere apparet

I. si Cananaeorum *res profanas* respicimus 12—26; nam Cananaei circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum suâ linguâ et scripturâ minime carebant 15—24 atque ea nomina mensium habebant, quae apud antiquos Israelitas invenimus, apud Babylonios-Assyrios non invenimus 24—25

II. si incolas Palaestinae inde ab antiquissimis temporibus magnum commercium cum Aegyptiis quoque habuisse observamus 26—30

III. si ex effossionibus recentioribus in Palaestina factis cognoscimus Aegyptios ad cultum profanum Cananaeorum usque ad Israelitarum immigrationem plurimum pertinuisse 30—32, Babyloniorum autem auctoritatem usque ad octavum a. Ch. n. saeculum in profano incolarum Palaestinae cultu non multum valuisse 32—34

IV. si *religionem* Cananaeorum spectamus; nam quamquam in religione et animi conformatione nonnullae similitudines Cananaeis cum Babyloniis intercedunt, tamen diversitates quoque neglegendae non sunt 34—39

Pars posterior

Neque vero etiamsi Babyloniorum auctoritas apud Cananaeos multo plus valuit quam demonstrari potest, idcirco Israelitae Babyloniorum cultum atque humanitatem Cananaeis intercedentibus receperunt

I. Licet enim in *cultu profano* Babyloniorum et Israelitarum haud paucae similitudines reperiantur 40—42, tamen multa quoque et magna discrimina exstant. Nam

1) Israelitas per saecula scripturâ cuneiformi et linguâ Akkadicâ usos esse falso contenditur 42—59

2) Neque šap(b)attu Babyloniorum sabbato Israelitarum respondet neque periodi septenûm dierum, qua Israelitae utebantur, apud Babylonios ullum invenitur vestigium 59—60

3) Nomina mensium antiquorum Israelitarum a Babyloniis differunt et post exsilium demum Israelitae Babyloniorum quoque nominibus mensium utebantur 60—62

4) Babylonii annum a vere, Israelitae ab autumno incipiebant 62—72

5) a) Israelitarum nomina stellarum neque apud Babylonios deprehenduntur neque ex eorum lingua duci possunt 72. b) Item neque circumcisionis neque poenae lapidationis apud Babylonios fit mentio 73

6) a) Narrationes biblicae ad antiquissima generis humani tempora pertinentes non ex Babyloniorum mythis receptae sunt 73—74. b) Leges libri foederis magnam partem e codice Ḫammurapi manasse existimandae non sunt 74—75. c) Liber Job nequaquam a narratione Babylonia de „patiente iusto“ pendet 76. Carmen quoddam Babylonium nonnulla cogitata libro Koheleth similia continet 76—77
(Doctrina Amen-em-ope cum Prov 22, 17—23, 11 comparatur 76—78)

7) Israelitas, ut Babylonios, universum in tres partes divisisse demonstrari non potest 78—79

8) Quae similitudines formae carminum Israelitarum cum Babyloniis intercedunt, non eo referendae sunt, quod Babyloniorum auctoritas in ea re apud Israelitas valuerit 79—83

II. Opinionem eorum, qui Israelitas, cum in terra Canaan sedes collocavissent, Babyloniorum *opiniones religionis* et *formas cultus* Cananaeis intercedentibus recepisse putant, falsam esse apparet

1) si leges Mosis cum polytheismo Babyloniorum comparamus 83—86

2) si leges Mosis cum divinatione et artibus magicis Babyloniorum conferimus 86—88

3) si Babyloniorum et Israelitarum de moribus praecepta inter se componimus 88—92

4) si Israelitas a) neque quae de angelis cogitabant 92—93, b) neque quae de orco credebant 93, c) neque quae de regno messiano sibi persuaserant 93—94 a Babyloniis mutuatos esse respicimus

5) si deliberamus, licet haud pauca instituta et vocabula ad cultum divinum pertinentia Israelitarum et Babyloniorum communia sint, tamen multa prorsus dissimilia esse 94—100

(Auctoritas Aegyptiorum num quid in religione Israelitarum valuerit 100—101)

6) si ex aliis quoque rationibus Babyloniorum auctoritatem ad Israelitarum religionem non pertinuisse cognoscimus 101—102

Conclusio 102—104

Index locorum ex sacris litteris allatorum 105

Index nominum et rerum 107—110

Addenda 111—112

Praesidia doctrinae 113—115

Compendia scripturae

AB = Assyriologische Bibliothek
ABAT = *H. Gressmann,* Altorientalische Bilder zum AT², Berlin-Leipzig 1927
AO = Der alte Orient
ATAT = *H. Gressmann,* Altorientalische Texte zum AT², Berlin-Leipzig 1926
ATLAO = *A. Jeremias,* Das AT im Lichte des alten Orients³, Leipzig 1916
BSt = Biblische Studien
BW = The Biblical World
BZ = Biblische Zeitschrift
BZAW = Beihefte zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft
BZF = Biblische Zeitfragen
BZSF = Biblische Zeit- und Streitfragen
CH = Codex Ḫammurapi
EA = Epistulae Amarna
Exp = The Expositor
ExpT = The Expository Times
JA = Journal Asiatique
JBL = Journal of Biblical Literature
KAT = *E. Schrader,* Die Keilinschriften und das AT³, Berlin 1903
KB = Keilinschriftliche Bibliothek
MSG = *J. P. Migne,* Patrolog. curs. compl. Ser. Graec.
MSL = *J. P. Migne,* Patrolog. curs. compl. Ser. Lat.
MuNDPV = Mitteilungen und Nachrichten des Deutschen Palästinavereins
MVAG = Mitteilungen der Vorderasiatischen Gesellschaft
MVAeG = Mitteilungen der Vorderasiatisch-Aegyptischen Gesellschaft
NkZ = Neue kirchliche Zeitschrift
OLZ = Orientalistische Literaturzeitung
PEF = Palestine Exploration Fund
PEF,QSt = Palestine Exploration Fund Quarterly Statement
R = The cuneiform inscriptions of Western Asia. Repared for publication by *H. C. Rawlinson,* London 1861 ss.
RB = Revue biblique
REclAW = Paulys Real-Encyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft², Stuttgart 1894 ss.

ThQ = Theologische Quartalschrift
VAB = Vorderasiatische Bibliothek
VAT = Tontafeln der Vorderasiatischen Abteilung der Museen zu Berlin
ZA = Zeitschrift für Assyriologie und verwandte Gebiete
ZAW = Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft
ZDMG = Zeitschrift der Deutschen morgenländischen Gesellschaft
ZDPV = Zeitschrift des Deutschen Palästinavereins
ZkTh = Zeitschrift für katholische Theologie

Palaestina antiqua magnis regnis Babyloniorum-Assyriorum et Aegyptiorum cincta erat. Situ terra ad Aegyptum, origine incolarum ad Babyloniam spectabat, et cum magnis mercandi viis transiretur, sedes erat magni commercii, quod Aegyptii cum incolis terrarum Euphraten et Tigrim adiacentium habebant. Quo factum est, ut procedente tempore auctoritati complurium populorum diversi cultus atque humanitatis obnoxia esset, quam eius incolae, etsi suum cultum atque humanitatem nunquam prorsus destituerunt, tamen evitare non poterant. Imprimis *quattuor populi* ex antiquissimis temporibus ad cultum atque humanitatem incolarum Palaestinae, Cananaeorum et Israelitarum, vehementer pertinuerunt.

Ac primum quidem *Babylonii,* qui cum *Assyriis* coniungi possunt, nominandi sunt. Nam etsi constat Babylonios magnam partem et religionis et profani cultus a primis terrae suae incolis i. e. Sumeriis, qui non Semitae erant, mutuatos esse, tamen propterea de Babyloniorum cultu atque humanitate loqui possumus, quod quae a primis incolis receperant, auxerunt et per multa saecula in terris Asiae anterioris legibus, moribus, institutis, artibus multum valuerunt. Cultus igitur humanus Babyloniorum mixtio illa cultus non Semitici (Sumerici) cum Semitico (Akkadico), quam ex aetate fere regis Ḫamm rapi apud incolas Babyloniae invenimus, intellegitur.

Quod *Babylonii* et *Assyrii* discernuntur, idcirco non di- ae gentes sunt. Immo vero utrique unius eiusdemque gentis existimandi sunt, inter se propterea diversi, quod Babylonii ad meridiem, Assyrii ab iis septentriones versus habitabant et quod Assyrii, cum minus cum Sumeriis commercium habuissent quam Babylonii, proprietates Semitarum purius servabant.

Deinde *Aegyptiorum* mentio facienda est. Quorum cultus humanus num cum Babyloniorum aliquo modo cohaereat, adhuc exploratum non est. Nonnulli quidem Babyloniam cultus humani Aegyptiorum originem ex linguarum cognatione, ex signis in scribendo usurpatis,

ex mythis ad religionem pertinentibus, ex artium atque universi cultus humani similitudine colligunt. Etsi autem in cultu humanitateque inter Aegyptios et Babylonios multae similitudines reperiuntur, e quibus colligas eos haud pauca inter se mutuatos esse, tamen rursus tot tantaeque res diversae exstant, ut optimum esse videatur utriusque populi cultum atque humanitatem separatim considerare.

Babyloniam cultus humani Aegyptiorum originem imprimis F. Hommel defendit: Der babylonische Ursprung der aegyptischen Kultur (München 1892). Die Identität der ältesten babylonischen und aegyptischen Göttergenealogie und der babylonische Ursprung der aegyptischen Kultur (Transactions of the 9th international congress of orientalists [London, Sept. 1892] 1893, II, 218—244). Zum babylonischen Ursprung der aegyptischen Kultur (Memnon. Zeitschrift für die Kunst- und Kulturgeschichte des Alten Orients I, 1907, 80—85. 207—210). Ethnologie und Geographie des Alten Orients 108—128 (München 1926). Etiam J. de Morgan (Recherches sur les origines de l'Égypte. I. L'âge de la pierre et des métaux. Paris 1896. Ethnographie préhistorique et tombeau royal de Négadeh. ib. 1897) et W. M. Flinders Petrie and J. E. Quibell (Naqada and Ballas. London 1896) prorsus sibi persuaserunt cultum humanum antiquorum Aegyptiorum Babyloniae esse originis. H. V. Hilprecht quoque (Is the Babylonian or Egyptian civilization earlier? The Sunday School Times, 23. April 1898) eadem opinione ducitur, quam G. Schweinfurth (Verhandlungen der Gesellschaft für Ethnologie 1897, 263—286) argumentis diligenter confirmat, imprimis inventis, quae W. M. Flinders Petrie in Tuch (el-Tuk), E. Amélineau Abydi ('Arabat el-Madfûne), J. de Morgan in Negadah (Naqada) fecerunt. Item A. Wiedemann (Die Urzeit Aegyptens und seine älteste Bevölkerung. Die Umschau III, 1899, nr. 39—40) cultum humanitatemque antiquissimorum Aegyptiorum et Babyloniorum aliquo modo cohaerere agnoscit idemque e tabula gentium (Gn c. 10) apparere videtur, ubi regnum Babylonium a gente non Semitica conditum esse dicitur, quae unâ cum Aegyptiis ad maiorem gentium familiam pertinebat (v. 6. 8—12). Contra alii viri rerum Aegyptiarum periti, inter quos *W. M. Müller, K. Sethe, G. Steindorff*, eam opinionem impugnant. Neque vero negari potest eam effossionibus recentissimae aetatis multo probabiliorem factam esse. Atque ad Aegyptiorum cultum humanum Babylonios prorsus nihil pertinuisse, si respicias earum gentium in opinione deorum ac mythologia, in astronomia et scriptura, in aliis rebus multa communia fuisse, haud dubie reprobes. — Videas E. Ebeling und B. Meissner, Reallexikon der Assyriologie I (Berlin-Leipzig 1928) 45—51.

Tum *incolae Arabiae meridianae* respiciendi sunt. Adhuc pauci quidem viri docti in Arabia antiqua investiganda versati sunt, sed ii consentiunt scientiam antiquae Arabiae meridianae ad vetus testamentum intellegendum vehementer pertinere; nam quoniam in ea parte terrae Canaan, quae in meridiem spectat, et apud omnes gentes, quae inter mare mortuum et sinum Arabicum habitabant, auctoritas Minaeorum et postea Sabaeorum per saecula multum valuit, quidquid de

religione, moribus, consuetudinibus Arabum antiquorum cognovimus, ad Israelitarum quoque de religione et communi vita instituta intellegenda et aestimanda pertinere manifestum est.

Imprimis multae inscriptiones (quae linguâ inter se differunt, prout aut Minaeorum aut Sabaeorum sunt) in Arabia meridiana inventae, sed adhuc parum investigatae sunt, ut nos paucis, quae viri docti, qui in illarum studio versantur, in lucem protulerunt, contentos esse oporteat. Quare etiam de religione et cultu profano antiquorum Arabum multa adhuc incerta sunt. Neque tamen dubium est, quin postea monumenta Arabica ad vetus testamentum subtilius intellegendum eodem momento futura sint quo nunc monumenta Aegyptiorum et Babyloniorum-Assyriorum.

Denique *Hethaei* nominandi sunt, qui in Asia minore habitabant. Quo tempore epistulae in Tell el-Amarna inventae conscriptae sunt, pars eorum, quae ex Asia minore ad meridiem versus progressa erat, in Syria septentrionali atque in Mesopotamia magnum regnum obtinebat, quod a Ninive in oriente usque ad Dunib (=Heliopolis, Baʿalbek) in occidente sitam patebat. At Hethaei adhuc adeo parum cogniti sunt, ut pro certo dici non possit, quantum ad incolas Palaestinae pertinuerint. Quamquam verisimile est Cananaeos et in metallorum fabrica et in re militari nonnulla ab Hethaeis didicisse. Verum non modo Cananaei, sed etiam Aegyptii usum curruum bellicorum ab Hethaeis mutuati sunt. Muris templi Pharaonis Ramses II in Bêsân et portis antiquae urbis Sichem de Hethaeorum ratione aedificandi admonemur. In arte quoque ad religionem pertinente nonnullae formae fingendi originis Hethiticae sunt, ut Astarte in leone stans. Ad hoc nonnulli religionis ritus Hethaeorum (ut castratio sacerdotum et mos, ex quo in sacris faciendis viri muliebri veste, feminae virili veste utebantur) in Syria septentrionali recepti sunt. Explicatis demum omnibus textibus Hethiticis haud dubie multa nova de gentibus orientis antiqui, imprimis de earum religionibus, cognoscentur.

Qua in re bene observandum est, non quidquid homines eruditi ex textibus Hethiticis adhuc effecerunt, ab omni parte certum exploratumque esse. Atque ut exemplum afferam, *ilâni Ḫabiri*, qui ibi commemorantur, num „dii Hebraeorum“ sint, cum non constet, temere colligitur illos textus prima litterarum monumenta esse, unde Hebraeos antiquos plures deos coluisse appareat (H. Gressmann, Die Ausgrabungen in Palästina und das Alte Testament 5 [Religionsgeschichtliche Volksbücher III, 10] Tübingen 1908). Etsi autem cum compluribus viris doctis *Ḫabiru** et Hebraeos

* Nomen, ubi subiectum est, in *u*, ubi in aliquo casu obliquo positum est, in *i* desinit. Atque *Ḫabiru* legitur in tabulis Amarna (ed. J. A. Knudtzon) 286, 56; 288, 38., *Ḫabiri* in tabulis 286, 19; 287, 31; 288, 44; 289, 24; 290, 13. 24.

eandem gentem esse concedimus, tamen verba *ilâni Ḫabiri* nihil novi continent, quoniam in vetere testamento Hebraeis saepe crimini datur, quod patres eorum peregrinis diis servierint.

A. Jirku compluribus locis (velut OLZ, XXIV, 1921, 246 s; XXV, 1922, 38. ZAW, XXXIX, 1921, 156—158. AO, XXIV, 2 [1924] 15. 18—20. ZAW, N. F. III, 1926, 237—242) in verbis *ilu Ḫa-bi-ru* deum gentilem Ḫabiru-Hebraeorum quaerendum esse dixit; deinde *Ḫa-bi-ri* quoque in verbis *ilâni Ḫa-bi-ri* nomen dei intellegendum esse ideoque iam antiquissimis temporibus formam quoque pluralem ad unum deum significandum usurpatam esse. Contra A. Gustavs (ZAW, N. F. III, 1926, 25—38) demonstrare studet *ilâni Ḫa-bi-ri* tantum verbis „dii Hebraeorum" reddi posse.*

Ceterum de eo quoque cultu humano mentio facienda est, qui primo effossionibus Troiae et Mycenis, postea in Cypro quoque aliisque insulis ac litoribus maris Aegaei, imprimis in insula Creta, factis deprèhensus est atque nomine *cultûs Mycenaei* vel *Aegaei* vel *Cretensis* appellari solet. Qui cultus quin cum Asia anteriore et Aegypto cohaereat, dubium non est. Sed adhuc in Palaestina nihil aliud, quo pertinuerit, repertum est nisi opera figlina.

Quantum cultus Mycenaeus valuerit, effossionibus in insulis maris Aegaei, in Creta et Cypro, in Aegypto, Phoenice, Syria factis demonstratum est. Res Mycenaeae in Palaestina (in Bêsân et 'Ain Schems) inventae usque ab aetate regni medii Aegyptiorum (2160—1785 a. Ch. n.) repetendae sunt. Conferas H. Gressmann in ZAW, N. F. II, 1925, 239 s.

Hic tantum in hoc uno versabimur, quantum Babyloniorum auctoritas apud antiquos Israelitas valuerit. Ac multi quidem viri docti recentioris aetatis eo progrediuntur, ut soli Babylonii antiquis temporibus apud Israelitas plurimum valuisse doceant, quantum autem aliis gentibus, imprimis Aegyptiis, in ea re tribuendum est, prorsus neglegant. At cum Palaestina ex antiquissimis temporibus Aegyptiis pareret, necesse erat Aegyptiorum quoque cultus humanus eo manaret. Atque effossionibus in Palaestina factis effectum est usque ad initium octavi a. Ch. n. saeculi Aegyptios multum, Babylonios aliquanto minus apud incolas Palaestinae, Cananaeos et Israelitas, valuisse. Quod clarius apparebit, si effossiones eodem studio, quo adhuc, atque amplius exercebuntur. Nemo igitur Israelitarum antiquorum condicionem recte intelleget, nisi qui respexerit, quantum non solum Babylonii, sed etiam Aegyptii ad eorum cultum humanitatemque contulerint. Quae cum ita

* Quantum equidem iudicare possum, quod saepius *ilâni šá amêlu SA.GAZ* (= Ḫa-bi-ri) scriptum legimus, eo nos cogimur Ḫabiri nomen gentile cognoscere et verba *ilâni Ḫabiri* ita intellegere, ut ex illa plena formula contracta sint.

sint, in quaestione solvenda, ad quas res Israelitarum auctoritas Babyloniorum pertinuerit, quae rationes quoque Israelitis cum Aegyptiis intercesserint, diligenter observandum est. Atque apparebit in cultu profano Aegyptios, in religione Babylonios plus valuisse, Israelitas vero, quamvis et Aegyptiorum et Babyloniorum auctoritas apud eos valuerit, tamen proprietates suae religionis cultusque profani nunquam deseruisse.

Panbabylonistae, quae similitudines cultui atque humanitati Israelitarum cum Babyloniis intercedant, vehementer praedicant, silentio tegunt aut infirmare student, quae inter eos dissimilia sunt.

Pars prior

Opinionem illam Cananaeos ante Israelitarum in eorum terram immigrationem solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos et rectos esse prorsus falsam esse demonstratur

Recentiore aetate saepe dictum est haud pauca eorum, quae ad religionem et cultum profanum antiquorum Israelitarum pertineant, *Cananaeis intercedentibus* a Babyloniis recepta esse, quod auctoritas Babyloniorum apud omnes gentes Asiae in occidentem spectantis permultum valuisset atque imprimis Cananaei, antequam Israelitae in eorum terram immigrarent, prorsus ex Babyloniorum religione et cultu profano pependissent.

Cananaei est nomen commune omnium gentium Canaanaearum, non solum earum, quae in Palaestina, sed etiam earum, quae sub Libano et in ora Syriae habitabant, quas nos Phoenices nominamus, cum se ipsi in nummis כנען appellarent. Poeni quoque, i. e. Carthaginienses a Phoenicibus oriundi, illo se nomine significabant.

Atque profecto dubium non est, quin auctoritas Babyloniorum iam antiquissimis temporibus in terris ab Euphrate occidentem versus sitis magna fuerit, id quod ex historia antiquorum Babyloniorum cognoscimus, quae multas regiones Asiae anterioris Babyloniis paruisse testatur. Ut exempla afferam, iam Lugal-zaggisi, *patesi*[1] urbis Uruk (2662—2638 a. Ch. n.), usque ad mare mediterraneum progressus est multasque regiones sub dicionem suam redegit; vehementer gloriatur, quod deus En-lil (Bêl) „sibi terras subegerit“, eas „a sole oriente usque ad occidentem expugnaverit, a mari inferiore usque ad superius (i. e. a sinu Persico usque ad mare mediterraneum) sibi vias patefecerit“.[2] Item

memoriae traditur Sargon (Šarrukîn), regem urbis Agade sive Akkad (2637—2582)[3], mare ad orientem spectans (i. e. eas partes maris mediterranei, quae ad orientem vergunt) transgressum in occidente statuas suas constituisse; eundem in terram Amurru[4] profectum quattuor mundi partes sub potestatem suam redegisse (KB, III, 1, 102. 104). Babyloniorum igitur cultus humanus ad incolas earum terrarum pertinebat. Atque ubi Narâm-Sin, nepos regis Sargon (2557—2520), Midian et totam Arabiam (*Magan* et *Meluḫḫa* i. e. Arabiam orientalem et occidentalem) cepit, ibi quoque Babyloniorum cultus humanus recipi coeptus est. Domus quaedam regnatrix Sumeriorum, quae in urbe Ur sedem ac domicilium habebat (2294—2187), regiones „Sumer et Akkad" i. e. Babyloniam meridianam et septentrionalem sub dicionem suam redegit. Maximus rex eius domus regnatricis Ur-Nammu (2294—2277) eiusque filius Šulgi (2276—2231) vestigia regis Sargon sequi conati fortasse aliquantum temporis etiam „terram occidentalem", Syriam et Palaestinam, in dicione sua tenuerunt. Qui reges quam longe dominati sint, inde cognoscimus, quod cum in Boghazköi (i. e. *Ḫattušaš*, capite regni Hethaeorum, a fluvio Halys [hodie Kisil-Irmak = fluvius ruber] orientem versus sito) effoderetur, sigillum alicuius praefecti Ibi-Sin, regis terrarum „Sumer et Akkad" (2210—2186), inventum est. Etiam in inscriptionibus Gudea, *patesi* urbis Lagaš (2600—2560, secundum alios 2470—2430), cum mercatores suos „a superiore mari usque ad inferius" commeasse narret (KB, III, 1, 32), demonstratur, quam late Babyloniorum auctoritas patuerit[5]. Ḫammurapi (= Amraphel, Gn 14, 1. 8), sextus rex primae domus regnatricis Babyloniorum (1955—1913)*, Babyloniam meridianam cum Babylonia septentrionali coniunxit, cum anno tricesimo primo regni sui Rîm-Sin (= Arioch, Gn 14, 1. 9), qui urbem Larsa (= Ellasar, l. c.) sedem regni habebat (1985—1925), regno spoliavit.[6] Idem Rîm-Sin in inscriptionibus plane se „dominum terrae occidentalis" appellat. Num etiam Ḫammurapi ipse in terris ad occidentem vergentibus imperaverit, haud multum refert.[7] Illud quidem constat eius auctoritatem in omnibus illis terris permagnam fuisse. Id quod etsi ex textibus cuneiformibus non appareret, tamen etiam ex sacris litteris effici posset, e quibus elucet codicem Ḫammurapi aetate patriarcharum in Palaestina vulgo pro iuris norma receptum fuisse.[8] Et cum Ammiditana quoque (1846—1810) „rex (terrae) Amurru" appelletur, sequi-

* Ceterum conferas J. B. Schaumberger, Die Chronologie der Hammurabi-Zeit nach neueren Forschungen (Biblica X, 1929, 332—362).

tur, ut Babyloniorum in eam terram dominatio usque ad interitum fere primae domus regnatricis eorum (1758) vix interrupta est. Ex eo tempore Babylonii in terris ab Euphrate ad occidentem sitis aliquantum valere nunquam desierunt.[9] Cum militibus Babyloniis mercatores quoque Babylonii merces afferentes eandem viam ierunt atque verisimile est incolas Syriae et Palaestinae iam tum Babyloniorum narrationes de origine mundi et de diluvio cognovisse et cultum nonnullorum deorum Babyloniorum (ut Ištar, Nabû, Sin, Nêrgal) recepisse. Imprimis circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum Babyloniorum auctoritatem apud omnes gentes Asiae in occidentem spectantis permultum valuisse effossionibus in Tell el-Amarna annis 1887 et 1888 factis constat.[10] Atque cum compluribus viris rerum Babyloniorum peritis contendere possumus omnes fere gentes antiquas, quarum res gestas novimus, plus minus ex Babyloniorum cultu humanitateque pependisse;[11] id quod ex multorum interpretum opinione etiam cum vetere testamento congruat, quippe cum ibi Šin'âr i. e. Babylonia ea terra appelletur, unde homines ob linguas confusas per orbem terrarum dispersi sint (Gn 11, 1—9).[12]

[1] Quod nomen regem urbis significat, qui ipse domino maiori paret ab eoque in munere constitutus est. Videas KB, III, 1, 6 s.

[2] F. Thureau-Dangin, Die sumerischen und akkadischen Königsinschriften (VAB, I, 1) 154. Leipzig 1907.

[3] Nabonid (*Nabû-na'id* = Nebo est sublimis), ultimus rex Babyloniorum (555—538 a. Ch. n.), Sargon patrem (rectius avum) regis Narâm-Sin vocat, quem 3200 annis ante se i. e. circa annum 3750 regnavisse dicit (KB, III, 2. 104). Itaque viri docti prius inclinabant, ut principes Sumeriorum, qui ante Sargon regnaverunt, usque ad annum 4000 pertinuisse arbitrarentur. Sed recentiore aetate addubitaverunt, num ratio regis Nabonid constaret, neque iam audent vel antiquissima monumenta et inscriptiones Babyloniorum nobis notas ad tempus, quod annum 3000 antecedit, referre. H. Winckler (KAT, 17 s.) aliique loco allato „2200 annis" corrigendum esse censent.

[4] Nomen *A-mur-ru* (ideographice MAR. TU) initio nomen dei et gentis, non nomen terrae fuit; deus demum et gens terrae nomen indiderunt. Atque *mât A-mur-ru* sive terra Amoritarum, contra quam Sargon profectus esse dicitur, ubi sita fuerit, ex eius inscriptionibus non cognoscimus. Neque tamen dubium esse potest, ubi ea quaerenda sit, quoniam eius expeditio contra Amoritas nihil aliud esse potest nisi expeditio illa in „terram occidentalem" i. e. in regiones montis Libani et usque ad mare mediterraneum, quam expeditionem, si verbis eius credimus, usque ad finem occidentis i. e. usque ad columnas Herculis extendit (si hîc non hyperbola statuenda et re vera tantum de Cypro aliisque insulis cogitandum est). Quod si recte se habet, necesse est Amoritas iam ante medium tertii a. Ch. n. millennii in Palaestina et Syria sedem collocasse, postea autem magis magisque ad Assyriam et Babyloniam septentrionalem progressos esse, dum Babyloniam meridianam aetate primae domus

regnatricis (2057—1758) ceperint. Quibus rebus innisus A. T. Clay (Amurru, the home of the northern Semites. A study showing, that the religion and culture of Israel are not of Babylonian origin. Philadelphia 1909. The empire of the Amorites [Yale oriental series. Researches. Vol. VI] New-Haven 1919) demonstrare studet, quod adhuc de propagatione antiquissimi cultus humani creditum est, falsum esse; eum cultum non ab oriente in occidentem, sed ab occidente in orientem progressum esse; mythos ad antiquissima generis humani tempora pertinentes, qui Babyloniis cum incolis terrarum ad occidentem vergentium communes sint, in terra Amurru ortos esse indeque in Babyloniam venisse. Idem M. G. Kyle (The Sunday School Times, 28. Juni 1913) iudicat. Cui opinioni aliquid veri subesse negandum non est. Certe Amoritae vel Semitae terras ad occidentem versus sitas incolentes ad Babylonios aliquid pertinuerunt. Illos vero mythos in terra Amurru, non in Babylonia ortos esse A. T. Clay non demonstravit. Ceterum sermonis in terra Canaan eo tempore, cum epistulae Amarna scriptae sunt, usitati a sermone Semitarum, qui in Babyloniam immigraverunt, diversitas facilius explicatur, si illi Semitae non ex Syria et Palaestina, sed ex regione a Babylonia inter septentriones et orientem sita in Babyloniam immigraverunt.

Th. Bauer (Die Ostkanaanäer. Eine philologisch-historische Untersuchung über die Wanderungen der sogenannten „Amoriter" in Babylonien. Leipzig 1926) omnem operam dat, ut primam domum regnatricem Babyloniam non originis Amoriticae esse demonstret; *Amurrê* incolas montium a Babylonia inter septentriones et orientem spectantium, quae in textibus cuneiformibus *KUR. MAR. TU* appellentur, fuisse; *MAR. TU* = Amurru initio „ventum occidentalem" significasse, a quo montes (incertum quibus causis) nomen acceperint; incolas eorum montium nomina, quae nominibus Amoritarum non similia sint, gessisse; *mât Amurru* = teram occidentalem (ad mare mediterraneum sitam) non tertio, sed secundo demum a. Ch. n. millennio fuisse. Idem iam B. Landsberger (Über die Völker Vorderasiens im 3. Jahrtausend. ZAW, N. F. I, 1923 24, 213—238) contendit. At tertio a. Ch. n. millennio regnum Amurru a Babylonia et Mesopotamia occidentem versus situm non fuisse, quamquam Th. Bauer id multis argumentis demonstrare studet, equidem agnoscere non possum.

Secundum V. Christian (Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes XXXIII, 1926, 306—310) *MAR. TU* = *Amurru* incolas terrae *KUR. MAR. TU*^{ki} = *šadû Amurrê*, qui dialecto quadam Akkadica utebantur neque cum Cananaeis terram orientalem habitantibus comparandi sunt, significat. Terra *KUR. MAR. TU*^{ki} a Babylonia septentriones et orientem versus, trans Tigrim sita cum terra Jamutbal aequanda esse videtur.

Ceterum videas P. Dhorme, Les Amorrhéens (RB, XXXVII, 1928, 63—79. 161—180). E. Ebeling und B. Meissner, Reallexikon der Assyriologie I, 99—101. Th. Bauer in ZA, N. F. IV, 1928, 145—170.

[5] Gudea cedros (quod reges Assyriorum usque ad octavum saeculum faciebant) e monte Amano = *Am-a-num* (KB, III, 1, 32), lapides et ligna e montibus, quos et ipsos in Phoenice quaerendos esse verisimile est (unus ex iis plane in Phoenice esse dicitur, ib. 34), alabastrum e monte Tindanu = *Ti-da-num* (ib. 36), qui Antilibanus

vel pars septentrionalis Libani intellegendus esse videtur (II R 48, 12 c d *Tidnu* = Amurru), apportari iussit.

[6] Ceterum Ḫammurapi Assyriam quoque partem regni sui existimat, qua opinione non impeditur, quin ibi reges in eius clientela fuerint (CH, Prolog. 4, 55—58: „qui reddidit deum tutelarem eius benignum ad urbem Assur"). — De gubernatione regis Ḫammurapi diligentissime agit L. W. King, The letters and inscriptions of Hammurabi, king of Babylon. 3 vols. London 1898—1901. Conferas etiam F. Ulmer, Hammurabi. Sein Land und seine Zeit (AO, IX, 1) Leipzig 1907.

[7] E. F. Weidner (Die Könige von Assyrien. Neue chronologische Dokumente aus Assur 45. n. 4 [MVAeG, XXVI, 2] Leipzig 1921) arbitratur, quod Ḫammurapi se „regem (terrae) MAR. TU" appellet, eo non imperium Syriae, sed eius regionis, quae Babyloniam et Elam separet, significari.

[8] Cuius rei nonnulla exempla afferimus: Codex Ḫammurapi sola matrimonia cum proximis cognatis lineae ascendentis prohibet; quare Abraham sororem germanam (Sara, Gn 20, 12), Nahor filiam fratris (Milcha, ib. 11, 29), Isaac filiam Bethuel patruelis (Rebecca, ib. 24, 67), Jacob filias Laban fratris matris suae (Lea et Rahel, ib. 29, 24. 28), Esau filiam Ismael, filii Abraham (Mahalath, ib. 28. 9), in matrimonium ducit. — Secundum CH § 144 Sara, cum sterilis sit, viro Abraham ancillam Agar dat (Gn 16, 3); item Rahel ancillam Bilha et Lea ancillam Zilpa viro Jacob dant (ib. 30, 3. 9). — Agar, cum dominam, postquam concepit, contemnat, punitur (Gn 16, 5 s. CH 145. 146). — Sara postulat, ne Ismael cum Isaac heres sit; cui Abraham resistit (Gn 21, 10 s. CH § 170), quod Ismael filium agnovit (Gn 16, 15; 17, 23), ut etiam deus iuris eius rationem habeat (ib. 21, 13); quare etiam Ismael unâ cum Isaac patrem sepelit (ib. 25, 9). — Lot filias libidini Sodomitarum dedere paratus est (Gn 19, 8); quae etsi iam desponsae sunt, tamen, cum nondum virum cognoverint et domi patris habitent, ex CH § 130 non sunt poenâ dignae, cum ex lege Mosaica delictum, quod commissurae sunt, morte multetur (Dt 22, 23 s.). — Quod Gn 19, 30—36 de filiabus Lot memoriae proditur, ex illa Babyloniorum opinione explicatur mulierem tum demum aliquid pretii habere, si liberos peperierit; quare incestum ne cum patre quidem factum verentur, dummodo liberos pariant; neque enim ex iure Babylonio filia incesta ullam poenam subit (§ 154), cum ex lege Mosaica ipse incestus cum nuru factus morte multetur (Lv 20, 12). — Laban a Jacob postulat, praeter filias suas ne alias uxores ducat (Gn 31, 50), quod iuri antiquorum Babyloniorum plane respondet (§ 144). Itaque Abraham quoque mortuâ demum Sarâ aliam ducit uxorem (Gn 25, 1). — Uxores patriarchae Jacob, Rahel et Lea, ipso iure divitias patris sui suas suorumque liberorum esse affirmant (Gn 31, 14—16). A iure quidem Mosaico et hereditas filiae et uxoris potestas res privatas suis liberis relinquendi alienae sunt, Babyloniorum autem iure hereditario eae res ad normam diriguntur (§ 162. 167. 171). — Ruben concumbit cum Bilha, uxore patris sui (Gn 35, 22). Ex lege Mosaica utrique moriendum erat (Lv 20, 1), ex iure Babylonio tum demum, si de ipsa matre agitur (§ 157). Si filius incestum cum patris uxore principe fecit, is domo extruditur (§ 158). Gn 35, 22 de filio uxoris principis et de patris uxore minore dignitate (Nebenfrau) agitur, de qua causa in iure Babylonio nihil statuitur. Inde explicatur Ruben non domo extrudi; sed tantum ius filii maximi amittere (Gn 49, 4; 1 Chr 5, 1). — Thamar, uxor Er, primogeniti Juda, fornicata

poenâ ignis condemnatur (Gn 38, 24); quod, cum alioquin crimen laesae pudicitiae non ita puniatur, ex codice Ḫammurapi explicatur. — Fortasse loci quoque Gn 20, 3. 6 et 26, 10 afferri possunt. Sarae propter adulterium, quod committere parata est, moriendum esse prorsus negandum est, quoniam Abraham id probat. Secundum ČH § 129 uxor propter adulterium non punitur, si a marito veniam impetravit.

Conferas A. Eberharter, Anklänge an babylonische Rechtsanschauungen in der Gn (Theologisch-praktische Monats-Schrift XXIV, 1914, 395—399). K. D. Macmillan, Marriage among the early Babylonians and Hebrews (The Princeton theological review VI, 211—245).

[9] Etiam ad incolas insulae Cretae Babylonii pertinuerunt. Neque enim aliter explicatur, quod tabulae fictiles, quae multae ibi inventae sunt, non signis cuneiformibus, sed litteris impletae sunt; tabulae autem fictiles proprie tantum ad cuneos (signa cuneiformia) incidendos, non ad lineas curvas (litteras) inscribendas destinatae sunt. Parvae quoque res cum scriptura cuneiformi (ut cylindri signatorii formâ apud Babylonios usitatâ) ibi inventae sunt, quae sane quidem importatae esse possunt.

[10] Ruinae Tell el-Amarna in Aegypto superiore, ab urbe Kairo 300 km meridiem versus, in ripa dextra Nili sitae sunt. Quas W. M. Flinders Petrie anno 1891 perscrutatus est et societas Germanica, quae ab oriente nominatur, annis 1912—14 detexit. Conferas W. M. Flinders Petrie, Tell el-Amarna. London 1894. P. Timme, Tell el-Amarna vor der deutschen Ausgrabung im Jahre 1911 (31. Wissenschaftliche Veröffentlichung der DOG) Leipzig 1917. — Pleraeque tabulae in Tell el-Amarna inventae aetatis Pharaonis Amenḥotep IV, paucae aetatis Amenḥotep III eius antecessoris sunt. Has posteriores quoque in urbe Ḫuen-Aton ab Amenḥotep IV demum aedificata inventas esse H. Winckler inde explicat, quod tabulae litis e tabulario regio sumptae fuerint, quibus adhibitis controversiae principum urbium Palaestinae diiudicarentur. — Editiones textus: H. Winckler, Die Tontafeln von Tell el-Amarna (KB, V) Berlin 1896. J. A. Knudtzon, Die El-Amarna-Tafeln (VAB, II, 1—2) Leipzig 1915. O. Schröder, Die Tontafeln von El-Amarna (Vorderasiatische Schriftdenkmäler der Museen zu Berlin) Leipzig 1914—15. Praeterea videas A. Klostermann, Eine diplomatische Korrespondenz aus dem 2. Jahrtausend v. Ch.[2] Leipzig 1902. C. Niebuhr, Die Amarna-Zeit. Aegypten und Vorderasien um 1400 v. Chr. nach dem Tontafelfunde von El-Amarna (AO, I, 2) Leipzig 1903. J. Rieber, Die El-Amarna-Tafeln und ihre geschichtliche Bedeutung (Die Kultur IV, 161—177. Wien-München 1903). K. Miketta, Die Amarnazeit. Palästina und Aegypten in der Zeit israelitischer Wanderung und Siedelung (BZF, I, 10) Münster i. W. 1908. P. Dhorme, Les pays bibliques au temps d'El-Amarna d'après la nouvelle publication des lettres (RB. N. S. V, 1908, 500—519; VI, 1909, 50—73. 368—385). Lettres d'el-Amarna (in *F. Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible. Supplément I, 207—225. Paris 1928).

[11] Iam vocabulis Akkadicis, quae in linguis omnium fere gentium Babyloniis finitimarum inveniuntur, docemur, quantum Babylonii apud illas gentes valuerint. In qua re respiciendum est plurima vocabulorum Akkadicorum receptorum ad res externas, pauca ad cultum animorum pertinere. Inde apparet Babylonios in animorum cultu apud illas gentes haud multum valuisse. Conferas E. König, Babyloniens Kultur und die Weltgeschichte. Berlin 1902.

Ceterum etiam nostrae aetatis cultus profanus cum Babyloniis antiquis coniuncta est cohaeretque. De qua re videas H. Winckler, Die babylonische Kultur in ihren Beziehungen zur unsrigen. Ein Vortrag. Leipzig 1902.

[12] Ex aliorum opinione Gn 11, 1—9 non agitur de universi generis humani in terra Šin'âr commorantis divisione in singulas gentes, quarum sua cuique lingua futura esset, sed de separatione posterorum Sem et Ham, si Josephus (Ant. Jud. 1, 4. 1—3) et complures patres ecclesiae (velut Ephraem Syrus et Augustinus) recte arbitrantur Nimrod, filium Kusch, ducem earum gentium fuisse, quae se ad turrim et urbem Babel aedificandam coniunxerunt. Sunt qui existiment loco allato tantum de separatione intra unam gentem Semiticam, posteros domus Arpachsad, qui magnum regnum cum capite Babel condituri fuerint, agi, rectius de separatione posterorum Joktan (qui postea Arabiam meridianam incolebant) a posteris Peleg, ut inde in libris divinis una gens Peleg (Abraham) respiciatur, ut cui se deus patefaciat (A. Hammerschmid in Theologisch-praktische Monats-Schrift VIII, 1898, 1—15. 89—101. 158—169. 228—240). Rursus alii arbitrantur locum allatum ad gentem Joktan solam pertinere (O. Happel in BZ, I, 1903, 225—231; II. 1904, 337—350; III, 1905, 17—31).

Quae cum ita sint, negari non potest ad Israelitas quoque nonnulla a Babyloniis pervenire potuisse eaque *Cananaeis intercedentibus.*[1] Ad hoc respiciendum est non solum uxorem Isaac Babyloniam fuisse, sed etiam Jacob multos annos in Babylonia commoratum esse indeque uxores sumpsisse, quibus rebus Babyloniorum mores atque consuetudines in familiis auctorum gentis Israeliticae haud dubie magis confirmata sunt. Eam autem opinionem a multis viris doctis conceptam incolas Asiae anterioris atque imprimis Cananaeos ante Israelitarum in eorum terram immigrationem solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos et rectos esse[2] prorsus falsam esse censemus. Nam quamquam negari non potest Babylonios apud eos aliquantum valuisse, tamen respiciendum est ut alias gentes Asiae anterioris, ita etiam Cananaeos cum in rebus profanis tum in religione suas opiniones, mores, consuetudines semper plus minusve retinere nunquam desiisse. Id quod haud difficile est probatu.

[1] Cum Babyloniis ipsis Israelitis ante octavum saeculum nullum erat commercium. Nam quamquam regnum David usque ad Euphraten pertinebat, tamen incolae earum terrarum in eius potestatem redactarum sola tributa conferre debuisse existimandi sunt, neque constat iam tum Israelitas cultum humanitatemque Babyloniorum cognoscere coepisse. Menahem regnante demum (742—737) incolae regni decem tribuum, Ahaz regnante (736—721) incolae regni Juda cum Assyriis societatem habere coeperunt (cf. 2 Rg 15, 17—22; 16, 10 s.), ut ex eo tempore Assyriorum, postea Babyloniorum auctoritas ad Israelitas vehementissime pertinuerit. In exsilio incolae utriusque regni, cum denuo commercium cum Assyriis et Babyloniis esse coepisset,

in periculum adducti sunt, ne cum iis permiscerentur; nam populus subiectus vel infirmior ad cultum humanitatemque populi potentioris inclinat. Neque tamen Israelitae tum multa ab Assyriis et Babyloniis recepisse existimandi sunt. Nam patriâ vastatâ, templo diruto, libertate amissâ, variis persecutionibus exsulantium acerbissimum odium in oppressores atque ardens desiderium terrae patrum et cultus Jahvae in templo exercitati excitatum est. Velut ex Ps 137 (136) cognoscimus, quanto desiderio exsulantes in patriam redire concupiverint, quantopere dei punientis iustitiam in hostes imploraverint. Quae cum ita sint, existimare quidem possumus exsulantes de cultu profano nonnulla ab oppressoribus recepisse, sed notiones et instituta ad religionem pertinentia eos mutuatos esse minime cogitari potest.

[2] Ita Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I[5], 31. 61 s. Leipzig 1905), H. Winckler (Religionsgeschichtlicher und geschichtlicher Orient 15 s. 33. Leipzig 1906), alii.

I

Si res profanas respicimus, haec reperimus: Linguam Akkadicam[1] et scripturam cuneiformem etiam extra Babyloniam late patuisse effossionibus recentioris aetatis satis superque demonstratum est. Velut epistulae Amarna testimonio sunt principes urbium Canaanaearum, antequam Israelitae terrâ Canaan potiti sunt, ad reges Aegyptiorum scribentes Babyloniorum litteris et linguâ Akkadicâ usos esse. Item effossionibus, quas *H. Winckler* annis 1906/07 et 1911/12 in Boghazköi fecit, demonstratur etiam reges Hethaeorum ad Aegyptios epistulas linguâ Akkadicâ et signis cuneiformibus confectas scripsisse, quamquam ipsi propriam linguam propriasque litteras habebant. Velut epistulae, quas uxor regis Hethaeorum Ḫattušil et uxor Pharaonis Ramses II (1292—1225) inter se miserunt, linguâ Akkadicâ et scripturâ cuneiformi confectae sunt. Inter epistulas Amarna sunt complures, quas Tušratta rex terrae Mitanni (quae Mesopotamiam et Syriam septentrionalem comprehendebat)[2], signis cuneiformibus conscriptas ad Amenḥotep III (Nimmuria, 1411—1375) eiusque coniugem Teje et Amenḥotep IV (Naphuria, 1375—1358) dedit.[3] Etiam Aegyptii cum aliis populis ita egerunt, ut linguâ Akkadicâ et scripturâ cuneiformi uterentur. Exemplum praebeant duae epistulae, quas Amenḥotep III ad regem Kadašman-Ḫarbe I (1426—1408) misit, qui tertiae domus regnatricis Babyloniae i. e. Kassitarum (1746—1171) fuit.[4] Atque Aegyptios iam aetate regni medii commercium cum hominibus externis habentes tabulis fictilibus, fortasse linguâ quoque Akkadicâ et scriptura cuneiformi usos esse cylindris signatoriis in Aegypto inventis, qui

magnam partem aetatis Ḫammurapi sunt, verisimile fit. Ii cylindri signatorii usui esse non poterant nisi tabulis fictilibus inscribebatur*. Duodecim quoque tabulae fictiles signis cuneiformibus conscriptae ab *E. Sellin* in Tell Taʿannek inventae[5] testantur circa annum a. Ch. n. 1400 linguam Akkadicam et scripturam cuneiformem in terra Canaan longe lateque diffusas fuisse; nam eae tabulae non libellos publicos, sed epistulas privatas ad ducem praesidii urbis Thaanach, nomine Ištarwašur, datas, ex parte indices operariorum continent; atque ipso nomine Ištarwašur Babyloniorum vis demonstratur. Idem epistulâ litteris cuneiformibus conscriptâ anno 1891 a *F. J. Bliss* in Tell el-Ḥasî effossâ (ubi bis hominis cuiusdam nomine Zimrida mentio fit, quem ex tabulis Amarna praefectum urbis Lachis fuisse cognovimus)** probatur. Duae quoque tabulae fictiles signis cuneiformibus quarto decimo a. Ch. n. saeculo impletae, quae anno 1926 prope Nâbulus (Sichem) effossae sunt, idem testantur.[6] Inde haud dubie colligendum est imprimis reges et principes Asiae anterioris tum linguâ Akkadicâ in commercio publico inter se usos esse, ut hodie lingua Francogallica usurpatur. Qua in re fieri quidem potuit, ut minores principes Canaanaei propter id unum eâ linguâ et scripturâ cuneiformi utebantur, quod etiam potentes reges id faciebant, ut consuetudinem, quae tum erat, sequerentur. Atque cum tabulis Cappadociis*** demonstratur colonos Babylonios iam circa annum a. Ch. n. 2300 suam linguam et scripturam in Asiam minorem transtulisse, incolas quoque „terrae occidentalis“ eodem tempore Babylonice scripsisse statuendum esse videtur, praesertim cum iam reges et principes antiquissimorum incolarum Babyloniae (Sumeriorum) usque ad mare mediterraneum progressi sint atque e regione Libani et Arabia ligna et lapides ad templa

---

* EA 31 a Pharaone Amenḥotep III ad Tarḫundaraba, regem terrae Arzawa *(tar-ḫu-un-da-ra-ba šar mâtu ar-za-wa)*, missa maximam partem linguâ Arzawâ conscripta est. Eadem lingua in epistula quoque 32, quae e terra Arzawa oriunda esse videtur, invenitur. Conferas J. A. Knudtzon, Die zwei Arzawa-Briefe, die ältesten Urkunden in indogermanischer Sprache. Leipzig 1902.

** Secundum *W. F. Albright* in Tell el-Ḥasî non urbs Lachis, sed urbs Eglon quaerenda est.

*** Tabulae Cappadociae, quae vocantur, sunt tabulae fictiles singularis cuiusdam scripturae cuneiformis Babyloniorum. Anno 1882 prope Kaisarijeh, qui locus in Cappadocia situs est, inventae sunt. Quae tabulae sunt opus mercatorum Babyloniorum, qui in Asia minore inter annos a. Ch. n. 2300 et 2000 magnam coloniam mercatoriam habebant.

exstruenda apportaverint.[7] Ceterum homines Canaanaei sibi etiam nomina Babylonia imponebant nominaque deorum suorum ideogrammatibus Babyloniis scribebant.

[1] Postquam textus VAT 1200, quem L. Messerschmidt (in OLZ, VIII, 1905, 268—273) edidit, innotuit, dubitari non potest, quin Akkadii *(Akkadû)* intellegendi sint Semitae, qui in Babyloniam immigraverunt. Eorum lingua in eo textu bilingui conversione Semitica linguae Sumericae significatur. Lingua igitur Akkadica intellegenda est lingua Semitica Babyloniorum et Assyriorum inscriptionibus cuneiformibus expressa, quae adhuc plerumque minus recte „Babylonia" vel „Assyria" nominabatur.

[2] Tušratta (Dušratta) diu regnare videtur. Si non ultimus rex terrae Mitanni, utique ultimus eorum, qui Mesopotamiam obtinuerunt, fuit. — Mitanni nihil aliud nisi nomen geographicum esse videtur, quoniam gens semper *Ḫurri* appellatur, quod nomen Hebraico *Ḥôrî* et Aegyptio *Ḥ'rw* = *Ḫaru* respondet. — Incolae regni Mitanni haud dubie Hethaei, sed Ariis commixti fuerunt. Cum Hethaeis iis deus quoque *Tešub* et dea *Ḫepa* communes sunt.

[3] J. A. Knudtzon, nr. 17—29. Ex iis epistulis maxima pars linguâ Akkadicâ, epistula autem nr. 24 linguâ patriâ terrae Mitanni, quae Hethaeorum linguae simillima fuisse videtur, conscripta est. Indices quoque donorum nr. 22 et 25 multa vocabula linguae Mitanni continet, de qua videas F. Bork, Die Mitannisprache (MVAG, XIV, 1—2) Leipzig 1909.

[4] Patria Kassitarum *(Kaššû)* est regio montuosa Zagros (hodie Bachtijari). Samsu-iluna, septimus rex primae domus regnatricis Babyloniae (1912—1875), nono anno regni sui eos vicit. Posterioribus temporibus eiusdem domus regnatricis Kassitae in agris operari dicuntur. Tum igitur ita in Babyloniam immigrasse videntur, ut pax non turbaretur. Quod sub secunda domo regnatrice, quae initio in „terra maris" habitabat, paulatim autem imperium totius Babyloniae arripuit, se mutavit. Anno 1746 Kassitae cuidam nomine Gandaš sive Gaddaš contigit, ut urbem Babel expugnaret ibique domum regnatricem (tertiam) conderet, quae 575 annos imperium tenuit. Secunda domus regnatrix primo in „terram maris" submota, sed iam a tertio rege novae domus regnatricis (Kaštiliaš I, 1708—1687) prorsus expulsa est. Clarissimi regum Kassitarum sunt aequales Pharaonum Amenḥotep III et Amenḥotep IV: Karaindaš (1445—1427), Kurigalzu II (1407—1389), Kadašman-Ellil I (1388—1370), Burraburiaš sive Burnaburiaš II (1369—1345), quorum epistulae ad reges Aegyptios missae ex parte servatae sunt (EA 2—4. 6—11. 13). Anno 1171 domus regnatrix Kassitarum exstincta est.

Kassitae apud Graecos Κίσσιοι, non Κοσσαῖοι, id quod praeter alios Frd. Delitzsch (Die Sprache der Kossäer, Leipzig 1884) putabat, vocantur. Atque Κοσσαίους eandem gentem fuisse quam Kassitas adhuc nullo alio argumento nisi nominum similitudine comprobari poterat. Κοσσαῖοι autem cum *Kussu*, cuius gentis in textibus cuneiformibus mentio fit, aequandi sunt.

Conferas H. Winckler, Altorientalische Forschungen I, 2 (Leipzig 1894) 109—139. Paulys REclAW, 1. Reihe, 22. Halbband (Stuttgart 1922) 1499—1503.

[5] Quae tabulae fictiles (ex parte bene conservatae, quinque tantum fragmenta sunt) in camera quadam arcis Ištarwašur iuxta reliquias cistae fictilis 60 cm latae et 65 cm altae, qua dux praesidii tabulario utebatur, inventae sunt. In Tell el-Mutesellim quoque talis cista effossa est, quae tamen inanis erat. Tabulae in cistis fictilibus servatae, sed sine litteris, etiam aliis locis inventae sunt. Unde cognoscimus tabulas inscriptas non forte in Palaestina inventas esse, sed ibi ante Israelitarum immigrationem scripturam cuneiformem haud ignotam fuisse.

Videas E. Sellin, Tell Ta'annek. Nebst einem Anhange von *F. Hrozný:* Die Keilschrifttexte von Ta'annek (Denkschriften der Akademie der Wissenschaften zu Wien, Phil.-hist. Kl. L, 4, 1904) p. 113—122 et tab. X—XI. Eine Nachlese auf dem Tell Ta'annek in Palästina. Nebst einem Anhange von *F. Hrozný*: Die neuen Keilschrifttexte von Ta'annek (ib. LII, 3, 1906) p. 37—41 et tab. I—III.

[6] Conferas F. M. Th. Böhl in ZDPV, XLIX, 1926, 321—327 et tab. 44—46.

[7] Ceterum posterioribus quoque temporibus linguam Akkadicam et litteras cuneiformes in terra Canaan non modo in commercio regum et civitatum usurpatas esse, sed etiam vulgo notas fuisse ex duabus illis tabellis emptionis (ex annis 649 et 647), quae in Tell Dschezer inventae sunt (A. S. Macalister, The excavation of Gezer I, 22—81. London 1912) perspicimus. Neque enim quisquam, qui vendit, pactum, quod non legerit, describit. Illa autem pacta Nathanjahu homo Judaeus subscripsit. Ceterum respiciendum est duas illas tabellas emptionis etiam Assyriorum esse posse, quia urbem Gezer septimo saeculo vel praesidium vel coloniam Assyriorum habuisse verisimile est. Atque J. Meinhold (1 Mose 14. Eine historisch-kritische Untersuchung 14 [22. BZAW] Giessen 1911) illos textus cuneiformes a magistratibus Assyriis urbis Gezer profectos esse existimat. Conferas E. Naville, Archéologie de l'ancien testament (Paris 1914) 20. A. Jeremias (ATLAO[3] 247. Leipzig 1916) iis nihil aliud demonstrari dicit nisi praeter linguam et scripturam Hebraicam scripturam quoque cuneiformem et linguam Akkadicam in Palaestina usitatas fuisse.

Neque vero ex iis rebus colligendum est circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum „cunctos homines" signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ usos esse.* Item nimis audacter dicitur cultum humanum civilemque Cananaeorum iis temporibus prorsus a Babyloniis profectum esse. Nam

1) Cananaei-Phoenices, quo tempore tabulae Amarna litteris impletae sunt, suâ linguâ et scripturâ minime carebant, quamvis concedendum sit eos tum vel in privatis epistulis linguâ Akkadicâ et scripturâ cuneiformi usos esse. Quod his rebus demonstratur.

a) Lingua Akkadica epistularum Amarna in Palaestina et Syria scriptarum formam Canaanaeam prae se fert. Saepe enim vel elocutiones vel verborum formas et significationes invenimus, quae non

* Id quod A. Jeremias (Der Einfluß Babyloniens auf das Verständnis des Alten Testaments 8 [BZSF, 2] Gr. Lichterfelde-Berlin 1908) contendit.

sunt Akkadicae, sed Canaanaeae. Eius rei nonnulla exempla hîc afferantur: EA 287, 36. 56 *la-ḳa-ḫu* sive *la-ḳi-ḫu* = sumere, capere pro Akk. *laḳû;* EA 287, 66. 69 *a-nu-ki* = ego pro Akk. *anâku;* EA 288, 6 *mu-ṣi-šamši* = ortus solis pro Akk. *ṣît šamši;* EA 10, 45 et 11, rev. 25 plur. *ti-im-bu-e-ti* = anuli signatorii, cf. Hebr. *ṭabbâʿôth;* EA 107, 23 *ši-mi-rum* = custos, cf. Hebr. *šômêr;* EA 131, 15 *gi-e-zi* probabiliter = aestas, cf. Hebr. *ḳaîš;* EA 269, 17 *ri-pu-ú-ti* probabiliter = medicamentum, cf. Hebr. *rephûʾâ;* EA 287, 32 *ṣa-du-uḳ* = iustus, cf. Hebr. *ṣaddîḳ.* Imprimis multae formae primae personae singularis perfecti in — *ti* desinentes pro Akk. — *ku* atque perfecta formae *ḳaṭal* pro forma *ḳaṭil* inveniuntur. Neque minore momento sunt interpretationes Canaanaeâ linguâ additae sive „glossae Canaanaeae", quae vocantur. Saepius enim vocabula Akkadica vocabulis Canaanaeis iuxta positis explicantur. Quae interpretationes plerumque cuneo obliquo (\ ) insigniuntur, Velut EA 74, 20 vocabulum Akkadicum *šadû* = mons explicatur vocabulo *ḫarri (ḫa-ar-ri)*; EA 74, 46; 79, 36; 81, 35; 105, 9; 116, 18 Akk. *ḫuḫari* = rete aviarium vocabulo *kilûbi (ki-lu-bi)*; EA 138, 130 Akk. *ikal* = cohibuit, detinuit vocabulo *ḫaziri (ḫa-zi-ri)*; EA 141, 4; 143, 11 Akk. *ipira* = pulvis vocabulo *aparu (a-pa-ru)* sive *ḫaparu (ḫa-pa-ru)*; EA 144, 17 Akk. *înija* = oculi mei vocabulo *ḫînaja (ḫi-na-ja)*; EA 155, 10 Akk. *mê* = aqua vocabulo *mêma (me-e-ma)* sive *mîma (mi-ma)*, cf. 148, 12. 31; EA 228, 19 Akk. *liḫšuš* = recordetur vocabulo *jazkur (ja-az-ku-ur)*; EA 232, 10 Akk. *pantû* = venter vocabulo *baṭnu (ba-aṭ-nu)*; EA 232, 11 Akk. *ṣiruma* = dorsum vocabulo *zuḫruma (zu-uḫ-ru-ma)*; EA 244, 16 Akk. *abulli* = porta vocabulo *šaḫri (ša-aḫ-ri)*; EA 245, 6 Akk. *balṭânu* = vivus, vivens vocabulo *ḫaiama (ḫa-ia-ma)*; EA 245, 10 Akk. *arkišu* = post eum vocabulo *aḫrunu (aḫ-ru-un-ú)*; EA 245, 14 Akk. *dakušu* = percutiunt eum vocabulo *maḫzû (ma-aḫ-zu-ú)*; EA 245, 28 Akk. *elippu* = navis vocabulo *annaj (a-an-ji)*; EA 245, 35 Akk. *ina ḳâtišu* = in manu sua vocabulo *badiu (ba-di-ú)*; EA 256, 9 Akk. *rûbiṣu* = magistratus vocabulo *zûkini (zu-ki-ni)*; EA 263, 12 Akk. *ṣênu* = oves vocabulo *zûnu (zu-û-nu)*; EA 263, 25 Akk. *sîsû* = equus vocabulo *sûsu (su-ú-su)*; EA 264, 16 Akk. *šamê* = caelum vocabulo *šamêma (ša-me-ma)*; EA 264, 18 Akk. *rêšunu* = caput nostrum vocabulo *rûšunu (ru-šu-nu)*; EA 287, 27 Akk. *ḳât* = bracchium vocabulo *zuruḫ (zu-ru-uḫ)*; EA 287, 56 Akk. *ugaru* = campus vocabulo *šatê (ša-te-e)*; EA 288, 52 Akk. *ḫalkaṭ* = periit vocabulo *abadat (a-ba-da-at)*; EA 296, 38 Akk. *nîru* = iugum vocabulo *ḫullu (ḫu-ul-lu)*. Quae „glossae Canaa-

naeae" eo pluris aestimandae sunt, quod iis verba Hebraica cum pronuntiatione vocalium nobis traduntur. Textus noster a masorethis cum signis vocalium ornatus nobis id tantum demonstrat, quo modo scholae Judaeorum in urbe Tiberias et in Babylonia quinto p. Ch. n. saeculo verba Hebraica pronuntiaverint i. e. tum, cum lingua Hebraica iam plus quingentos annos lingua mortua erat. Praeterea in tabulis Amarna complura quoque nomina propria Canaanaea invenimus, velut *Adon (a-du-na,* nomen regis urbis Phoeniciae ʿArḳa, nr. 75, 25; 140, 10), *Anati* (*a-na-ti*, nr. 170, 43. cf. nomen deae Cananaeorum ʿ*Anât*, Jdc 3, 31; 5, 6), *Abd-Aširta* (*abdi-a-ši-ir-ta,* nr. 90, 28) = Abd-Ašera.

Videas F. M. Th. Böhl, Die Sprache der Amarnabriefe mit besonderer Berücksichtigung der Kanaanismen (Leipziger Semitistische Studien V, 2) Leipzig 1909. E. Ebeling, Das Verbum der El-Amarna-Briefe (Beiträge zur Assyriologie VIII, 2) Leipzig 1910. P. Dhorme in RB, XXXIII, 1924, 16—19. Praeterea KAT 651—653 et J. A. Knudtzon, Die El-Amarna-Tafeln II, 1545—1549.

b) Ex duodecim quoque tabulis fictilibus in Tell Taʿannek inventis Cananaeorum linguam aliquantum ad Babyloniorum linguam pertinere cognoscitur. F. Hrozný quidem docet formam *na-ra-am* sine vocali desinentem (tab. 2. lin. 4) non aliter explicari posse nisi ex lingua Cananaeorum; quod etiam in formas *ma-à-at* (ib. lin. 4), *u-ma-an* (ib. lin. 7), *be-lit* (ib. lin. 8. 10), *bi-ki-it* (ib. lin. 13) cadere; ceterum vocabulum *ma-à-at,* quod vocabulo *lib-bu* respondeat (ib. lin. 5), idem valere quod Hebraicum *mêʿîm* = viscera, cor.[1] Idem auctor vocabulum *ar-zi(u)* = Hebr. *ʾerez,* cedrus (tab. 6. lin. 5) pro Akkadico *erinu* = cedrus usurpatum esse admonet.[2]

[1] Apud E. Sellin, Tell Taʿannek 116. Ibidem F. Hrozný in nomine scribae secundae tabulae Taʿannek *A-ḫi-ia-mi (=wi)* nomen dei Jahvae invenire sibi videtur. At nomen quoque dei maris *Jam* esse potest. Neque omnino nomen dei intellegi necesse est, quia *mi* particula postposita (pro *ma*) existimari potest (E. Sellin, Der Ertrag der Ausgrabungen im Orient für die Erkenntnis der Religion Israels 29. Leipzig 1905).

[2] Apud E. Sellin, Eine Nachlese auf dem Tell Taʿannek 38. Incertum autem est, an vocabulum *arzu* non solum cedrum, sed etiam vas e ligno cedrino significet.

In aliis quoque monumentis linguae Akkadicae varia vocabula Canaanaea (Phoenicia, Hebraica quoque) inveniuntur, imprimis in nominibus propriis diversorum temporum, unde cognitiones magni momenti ad sermonis Canaanaei (Hebraici) pronuntiationem pertinentes hauriuntur. Praeterea ibi nonnulla vocabula rariora, quae (aliqua ex

parte propter formam ipsam) e sermone Canaanaeo recepta esse existimanda sunt (ut *jamu* = mare in *kusa jâme,* nomine herbae cuiusdam, KAT 653), inveniuntur.

c) Cananaeos-Phoenices circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum propriâ linguâ usos esse ex eorum quoque nominibus propriis, quae in sacris litteris commemorantur (velut *ʾAdônî-ṣedeḳ* Jos 10, 1. 3. *ʾAdônî-bezeḳ* Jdc 1, 5—7), cognoscimus.

Quod E. Naville (La découverte de la loi sous le roi Josias. Une interprétation égyptienne d'une texte biblique 27 [Extrait des mémoires de l'academie des inscriptions et belles-lettres XXXVIII, 2] Paris 1910) ea nomina propria nomina Babylonia in linguam Hebraicam translata esse dicit, id audacter dictum esse iudices. Nam vocabulum *ʿâdôn* in iis nominibus propriis ob id ipsum ad vocabulum Babylonium in linguam Hebraicam translatum referri non potest, quod in inscriptionibus Phoenicum non modo in nominibus propriis invenitur. Quod autem idem auctor propriam linguam Cananaeorum, quam circa quartum decimum saeculum in usu fuisse et ipse concedit, tantum sermonem communem praeter (Akkadicam) orationem accuratam et politam fuisse dicit (ib. 25 et saepius), animadvertendum est Cananaeos propriâ linguâ, si eam revera habuerunt, ita quoque uti potuisse, ut orationem accuratam et politam conficerent. Et quod E. Naville canticum Debora (Jdc 5, 2—31) oratione accurata et polita scriptum esse negat (ib. 31), id demonstrare non potest. Quod canticum, cum eius oratio a ceteris carminibus antiquorum Israelitarum non differat (cf. Nm 21, 27—30; Dt 32, 1—43), non eo sermone, quo in scriptis tum utebantur, compositum esse dici nequit. Cum porro subtilissimi critici iudicent id canticum aetatis iudicum et maxime egregiorum operum poesis Israeliticae esse, iam tum Israelitae in scriptis oratione ab usitato sermonis genere quodam modo abhorrente utebantur.

d) Cananaeos-Phoenices iam circiter duobus milibus annorum a. Ch. n. propriam linguam habuisse iis quoque vocabulis et nominibus propriis formam Canaanaeam prae se ferentibus demonstratur, quae circiter ab anno 1600 in textibus hieroglyphicis et hieraticis invenimus. Ea propter „scripturam syllabicam" facile agnoscuntur.

De quibus diligentissime egerunt J. H. Bondi, Dem hebräisch-phönizischen Sprachzweige angehörige Lehnwörter in hieroglyphischen und hieratischen Texten (Diss.) Leipzig 1886. W. M. Müller, Asien und Europa nach altaegyptischen Denkmälern c. 5 et 6 (p. 58—105) Leipzig 1893. M. Burchardt, Die altkanaanäischen Fremdworte und Eigennamen im Aegyptischen. I. Die kritische Analyse der Schreibung, fol. 60 autogr. II. Liste der syllabisch geschriebenen Worte, sowie der altkanaanäischen Fremdworte und Eigennamen. Leipzig 1909—10. Praeterea videas F. J. Lauth, Semitische Lehnwörter im Aegyptischen (ZDMG. XXV, 1871, 618—644). A. Erman, Das Verhältnis des Aegyptischen zu den semitischen Sprachen (ib. XLVI, 1892, 93—129).

e) Litterae Cananaeorum-Phoenicum a Babyloniorum formâ et numero signorum, evitatione ideogrammatum sive signorum vocabulorum, aliis rebus omnino sunt diversae. Praeterea Cananaei-Phoenices a dextra ad sinistram, Babylonii et Assyrii a sinistra ad dextram scribebant.

Praeter Babylonios et Assyrios inter gentes Semiticas tantum Aethiopes a sinistra parte dextrorsum scribebant. In nonnullis autem inscriptionibus antiquis scriptura a dextra parte sinistrorsum se flectit. Scriptura quoque Sabaea (Himjaritica) interdum a sinistra parte dextrorsum, plerumque autem a dextra parte sinistrorsum, interdum in utramque partem *(bûstrophêdon)* se flectit.

Vetustas scripturae Cananaeorum-Phoenicum (antiquorum Hebraeorum) variis monumentis comprobatur: stelâ in Ördek-burnu prope Sendširli inventâ, quae decimi a. Ch. n. saeculi est et inscriptionem linguâ non Semiticâ, sed litteris Semiticis confectam exhibet;[1] inscriptione anno 1876 in insula Cypro inventâ, quae deo Baʿal-Lebânôn ab homine, qui se „ministrum Hiram (I) regis Sidoniorum" appellat, dicata est, ut medio decimo saeculo orta esse videatur;[2] lapide triumphali Meša, regis Moabitarum, qui noni saeculi est;[3] inscriptione ponderis cuiusdam (42 kg) antiquorum Israelitarum (*ʾeben melek dâvîd* = lapis [pondus] regis David), quae centum annis antiquior existimanda est quam inscriptio lapidis Meša; inscriptione regis Kalumu in Sendširli effossâ, nono saeculo ortâ;[4] septuaginta quinque testis illis fictilibus (ostracis) in Tell Sebasṭîje effossis, quae noni saeculi sunt; inscriptione, quae a Siloah vocatur, octavo saeculo ortâ.[5] Monumenta antiquae Cananaeorum scripturae duae quoque inscriptiones in terra Samʾal inventae habendae sunt:[6] inscriptio triginta quattuor linearum regis Panammû I, filii Ḳarallu, regis terrae Jaʾudi, quae in simulacro quodam dei Hadad legitur („inscriptio Hadad"); inscriptio viginti trium linearum lapidi, quem Bar Rekub, rex terrae Samʾal, patri Panammû exstruxit, incisa („inscriptio Panammû"). Utraque inscriptio octavo a. Ch. n. saeculo orta est. Bybli inscriptio Abibaʿal decimo saeculo orta effossa est atque autumno anni 1923 Francogalli ibi inscriptionem antiquorum Phoenicum tertio decimo saeculo confectam invenerunt.[7] In urbe Aegypti mediae Kahun, quae aetate duodecimae domus regnatricis (2000—1788) condita est, sed iam eadem domo regnare desinente perire coepit, W. M. Flinders Petrie[8] trunculum ligni cum litteris antiquorum Semitarum אחטב (= nomen sacerdotis ʾAḥîṭûb) et praeterea testas vasorum fictilium cum iisdem litteris invenit. Eaedem litterarum

formae exstant in inscriptionibus, quae in paeninsula Sinaitica (in Ṣarâbîṭ el-Ḫâdem,[9] ubi parvum templum dei Sopdu [Sopd] „domini deserti orientalis“ et magnum templum deae Hathôr erat) a Semitis, qui ibi metalla exercebant, compluribus monumentis et tabulis saxeis incisae atque a W. M. Flinders Petrie[10] annis 1904 et 1905 inventae sunt. Quae inscriptiones „antiquae Sinaiticae“ nominantur, ut a multo posterioribus et iam pridem notis inscriptionibus, quae imprimis in Wâdi Mukatteb (= vallis inscriptionum) a Wâdi Maghâra meridiem versus sito inventae sunt, discernantur. Propterea magni sunt momenti, quod ceteris inscriptionibus alphabeticis, quas novimus, antiquiores eiusdemque fere temporis sunt atque Moses; nam propter signa minus exculta haud dubie a millesimo quingentesimo fere a. Ch. n. anno repetendae sunt. Signa inscriptionum, quarum sermo Hebraicus est, sunt imagines signis hieroglyphicis similes, sed non Aegyptie legendae; immo vero alphabeto Semitico ita respondent, ut exempli causâ bos pro ʾAleph, domus pro Bêth ponenda sint. Illae igitur imagines antiquissima forma litterarum Hebraicarum sunt.[11] Unde opinio illa nonnullorum refutatur fieri non potuisse, ut Pentateuchus aetate Mosaica conscriberetur, quod tum litterae Hebraicae nondum fuerint.

[1] M. Lidzbarski, Ephemeris für semitische Epigraphik III (Giessen 1915) 192—206.

[2] Opinio non regem Hiram I, aequalem Salomonis, sed Hiram II intellegendum esse (W. v. Landau, Beiträge zur Altertumskunde des Orients I, 17—29. Leipzig 1893) ex rationibus palaeographicis reprobanda est.

[3] R. Smend und A. Socin, Die Inschrift des Königs Mesa von Moab. Freiburg 1886. D. Sidersky, La stèle de Mesa (Revue archéologique, Série 5, Vol. X. 1919, 2). A multis dubitatum est, verane inscriptio sit (cf. A. Löwy, Die Echtheit der moabitischen Inschrift im Louvre aufs neue geprüft. Wien 1903. R. Storr in ThQ, IXC, 1917/18, 196—225. 378—421), sed iniuriâ, quod E. König (ZDMG, LIX, 1905, 233—251. 743—756. Jeschurun XII. 1925. 186—197. 276—288) et A. Vaccari (Verbum Domini II, 1922, 274—278. 309—313. 341—345) demonstraverunt. Optimam huius monumenti imaginem videas in libro „Les monuments palestiniens et judaïques (Musée du Louvre)“ a R. Dussaud Parisiis 1912 edito.

[4] J. Hehn, Die Inschrift des Königs Kalumu (BZ, X, 1912, 113—124). M. J. Lagrange, La nouvelle inscription de Sendjirly (RB, N. S. IX, 1912, 253—259). M. Lidzbarski, Ephemeris für semitische Epigraphik III, 218—238.

[5] Conferas ZDPV, III, 1880, 54 s. *(A. Socin)*; IV, 1881, 102—114 *(E. Kautzsch)*; 250—271 *(H. Guthe)*; V, 1882, 205—218 *(E. Kautzsch)*.

[6] F. Hommel, Ethnologie und Geographie des Alten Orients 159.

[7] Est elogium sepulcri in arca lapidea Aḥiram, regis Gebal (hodie Dschebeil), quam Ippîs-baʿal, eius filius, fecit. Conferas: Syria, Revue d'art oriental et d'archéologie V, 1924, 135—157 *(R. Dussaud)*; OLZ, XXVIII, 129—140 *(H. Bauer)*; RB,

N. S. XXXIV, 1925, 161—193 *(H. Vincent)*; Journal of the American oriental society XLV, 1925, 269—279 *(Ch. C. Torrey)*; PEF, QSt, LVII, 1925, 210—215 *(S. A. Cook)*; OLZ, XXX, 1927, 453—458 *(M. Lidzbarski)*; praeterea S. Ronzevalle, L'alphabet du sarcophage d'Aḥîram (Mélanges de l'Université Saint Joseph XII, 1921, 1—40). Atque illud elogium sepulcri tertii decimi a. Ch. n. saeculi esse dicitur, quia vasa cum nomine Pharaonis Ramses II in sepulcro inventa sunt. Id W. Spiegelberg (OLZ, XXIX, 1926, 735—737) dubitat, quod, cum sepulcrum octavo vel septimo saeculo effractum sit, illa vasa ex aliis sepulcris eo lata esse possint. — Ceterum videas H. Gressmann, Byblos (ZAW, N. F. II, 1925, 225—242).

[8] Kahun, Gurob and Hawara (London 1910) pl. 27, 85.

[9] De nomine Ṣarâbîṭ el-Ḫâdem videas G. Ebers, Durch Gosen zum Sinai[2] (Leipzig 1881) 607 s.

[10] Researches in Sinai, with chapters by *C. T. Curelly* (186 illustrations and 4 maps) London 1906.

[11] A. H. Gardiner (The Egyptian origin of the Semitic alphabet. Journal of Egyptian archaeology III, 1916, 1—16) eas inscriptiones investigare coepit, sed tantum unum vocabulum recte legit, sc. בעלת (*b-'-l-t* = ba'alat = Βαάλτις = domina). Putat eam scripturam originis Aegyptiae esse atque aetate duodecimae domus regnatricis (circiter 1900 a. Ch. n.) ortam. Plus in ea re K. Sethe (Die neuentdeckte Sinai-Schrift und die Entstehung der semitischen Schrift. Nachrichten von der königl. Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen, Phil.-hist. Kl. 1917, III, 437—475) assecutus est. Qui, cum inscriptiones inter annos a. Ch. n. 1800 et 1500 ortae sint, alphabetum Semiticum septimo decimo a. Ch. n. saeculo ab Hyksos inventum esse existimat. H. Bauer (Zur Entzifferung der neuentdeckten Sinaischrift und zur Entstehung des semitischen Alphabets. Halle a. S. 1918) scripturam Sinaiticam cum signis hieroglyphicis coniungendam esse negat. R. Eisler (Die kenitischen Weihinschriften der Hyksoszeit im Bergbaugebiet der Sinaihalbinsel und einige andere unerkannte Alphabetdenkmäler aus der Zeit der XII—XVIII Dynastie. Freiburg i. Br. 1919) alphabetum Semiticum ex scriptura hieroglyphica ortum esse negat, nonnullis autem eius signis Semitas, qui scripturam Aegyptiam noverunt, similia signa hieroglyphica effinxisse putat*. H. Schneider (OLZ, XXIV, 1921, 241—246) inscriptiones Sinaiticas a Philistaeis ducit atque eas scripturae Creticae cognatas esse conicit. H. Grimme (Althebräische Inschriften vom Sinai. Darmstadt-Hagen i. W.-Gotha 1923) et D. Völter (Die althebräischen Inschriften vom Sinai und ihre historische Bedeutung. Leipzig 1924) scripturam Sinaiticam a scriptura Aegyptia ducunt. H. Grimme autem eam non ad scripturam hieroglyphicam, sed ad scripturam hieraticam (circiter 1500 a. Ch. n.) referendam esse arbitratur. Atque nonnullarum litterarum nexus cum signis Aegyptiis (hieroglyphicis vel hieraticis) certus esse videtur, aliarum autem origo nondum reperta est. In libro, qui inscribitur „Die Lösung des Sinaiproblems. Die althebräische Schrift. Mit einem Anhang: Thamudische Parallelen zu den altsinaitischen Inschriften" (Münster i. W. 1926), H. Grimme se persuasum habere dicit inscriptiones antiquas-thamudicas ad inscriptiones antiquas-Sinaiticas explicandas adhiberi posse. Inscrip-

---

* Conferas A. H. Sayce, The origin of the Semitic alphabet (Journal of the royal Asiatic society 1920, 297—303).

tiones illae thamudicae eae 1700—1800 inscriptiones intelleguntur, quae in locis sacris Arabiae septentrionalis regionumque vicinarum (etiam in Aegypto: in Wâdi el-Ḥammamat) inventae atque a. Ch. Huber 1883, 1884, C. H. Doughty 1884, J. Euting 1904, A. Jaussen et R. Savignac 1911, 1914 editae sunt. Quarum inscriptionum lectio in tabulis litterarum ab E. Littmann, M. Lidzbarski, J. J. Hess compositis nititur. A. Jaussen et R. Savignac earum auxilio innisi inscriptiones in Arabia inter septentriones et occasum solis spectante (Ḥedschâz) inventas legere conati sunt, quod iis non contigit. Nunc H. Grimme in iis inscriptionibus litterarum formas repperit, quae a litteris inscriptiouum in Arabia inter septentriones et orientem solem spectante (Nedschd) inventarum differunt. Quam scripturam antiquam-thamudicam nominat, ut eo nomine a scriptura nova-thamudica inscriptionum terrae Nedschd ex ea profecta distinguatur. Si forma signorum scripturae antiquae-Sinaiticae cum scriptura antiqua-thamudica comparatur, intellegitur hanc ex illa manasse. H. Grimme scripturam antiquam-Sinaiticam a Midianitis receptam et ex forma signorum, quae apud eos in usum venerat, scripturam antiquam-thamudicam ortam esse arbitratur. Quare suadet, ut omnia litterarum monumenta, quae scripturâ antiquâ-thamudicâ confecta ad memoriam nostram pervenerunt, „nova-Midianitica" nominentur. E scriptura thamudica scripturam Arabiae meridianae (Minaeam et Sabaeam) profectam esse. Scripturam autem Phoeniciam non simpliciter e scriptura Sinaitica ducendam esse, sed Phoenices scripturam suam ita finxisse, ut quasdam litterarum notas e Cypro quoque et Creta electas scripturae Sinaiticae adderent.

Conferas J. B. Schaumberger, Die angeblichen Mosaischen Inschriften vom Sinai (Biblica VI, 1925, 26—49. 156—164). N. Peters, Zu H. Grimmes Entzifferung der althebräischen Inschriften vom Sinai (Theologie und Glaube XVII, 1925, 314—327). K. Sethe, Die wissenschaftliche Bedeutung der Petrie'schen Sinaifunde und die angeblichen Moseszeugnisse (ZDMG, N. F. V, 1926, 24—54). H. Jensen, Das Problem der Herkunft der semitischen Schrift und die Sinaiinschriften (OLZ, XXXI, 1928, 650—665). J. Döller, Die wissenschaftliche Bedeutung der neuen Sinai-Inschriften (Jahrbuch der österreichischen Leo-Gesellschaft 1928, 39—71).

Ceterum respiciendum est litteras Cananaeorum-Phoenicum a Graecis iam aetate, quae est inter duodecimum et decimum a. Ch. n. saeculum, receptas esse et haud dubie longiore tempore ad eas excolendas opus fuisse[1]. Praeterea vetustas scripturae antiquorum Cananaeorum etiam monumento quodam Aegyptio comprobatur, quod ad annum quintum Pharaonis Ramses XI, paenultimi regis vicesimae domus regnatricis (1121—1118), referendum est: Wen-Amon Aegyptius principi Bybliorum quingenta volumina papyri (sine dubio, ut calamo et atramento, non signis cuneiformibus ut tabulae fictiles inscribantur) tradit atque is princeps „commentarios patrum" afferri et recitari iubet (qua in re solis de voluminibus papyri, non de tabulis fictilibus cogitari potest).[2] Antiquissimum autem monumentum scripturae Cananaeorum antiquorum in Tell el-Mutesellim effossum est: complures testae

fictiles, quae inter saecula sextum decimum et tertium decimum ortae signa continent, quae litteris ʾAleph et Tâw scripturae Cananaeorum antiquorum respondent.[3] Et si Urim (אורים) et Tummim (תמים) cum prima et ultima forma litterarum Cananaeorum cohaerent, iudicare licet scripturam eorum usque ad aetatem Mosis pertinere, id quod etiam ex inscriptionibus antiquis-Sinaiticis apparet, quae, quantum equidem iudicare possum, non pro exemplari ceterarum formarum litterarum Semiticarum, sed tantum pro antiquissima scriptura Semitica nobis nota habendae sunt.[4]

[1] H. Hirschfeld, Recent theories on the origin of the alphabet (Journal of the royal Asiatic society 1911, 963—977). A. S. Zerbe, The antiquity of Hebrew writing and literature (Cleveland 1911) 136. 154s.

[2] H. Gressmann, ATAT² 75. Berlin-Leipzig 1926. Alii (ut H. Bauer und P. Leander, Historische Grammatik der hebräischen Sprache I, 60. Halle a. S. 1922) ex narratione illa Aegyptia certe colligi posse scripturam Canaanaeam iam tum fuisse negant.

[3] R. Kittel, Geschichte des Volkes Israel II⁶ (Gotha-Stuttgart 1925) 54. n. 3.

[4] Conferas Ph. Berger, Histoire de l'écriture dans l'antiquité. Paris 1891. P. Jensen, Geschichte der Schrift (imprimis p. 99—114) Hannover 1925. H. Loewe, Das Alter des phönikischen Alphabets (Jeschurun XII, 1925, 389—398).

f) Ceterum nemo profecto Aegyptiis patriam scripturam vel linguam fuisse propterea negat, quod circa quartum decimum a. Ch. n. saeculum commercia cum externis habentes scripturâ cuneiformi ac linguâ Akkadicâ utebantur. Id non faciebant nisi ut aut ad epistulas eius scripturae ac linguae ad se missas responderent aut ut cum principibus Babyloniorum epistularum commercium habere possent.[1] Neque ex inscriptionibus in Boghazkôi inventis, quarum nonnullae linguâ Hethaeorum confectae signis cuneiformibus impletae sunt, quisquam colliget Hethaeis etiamtum patriam scripturam non fuisse. Atque sicut nemo ex duabus illis tabellis emptionis scripturâ cuneiformi et linguâ Akkadicâ confectis, quae in Tell Dschezer inventae sunt atque ex posteriore parte septimi a. Ch. n. saeculi originem ducunt, colliget tum solam Babyloniorum scripturam et linguam Akkadicam in Palaestina usitatam fuisse, ita ex tabulis fictilibus in Tell el-Amarna inventis id effici non potest de ea aetate, quae 1400 a. Ch. n. anno proxima est. Quod autem nonnulli dicunt praefectos urbium Syriae et Palaestinae, si simplex Cananaeorum-Phoenicum scriptura iam tum fuisset, in epistulis ad Pharaonem missis difficili Babyloniorum scripturâ usuros non fuisse, respiciendum est ad epistulas illas conscribendas eam scrip-

turam et linguam solam eligi potuisse, quae tum in commercio publico usitatae erant, i. e. Babyloniorum. Si eae epistulae, quas praefecti urbium Canaanaearum inter se scripserunt, linguâ Canaanaeâ, sed scripturâ cuneiformi confectae essent, potius existimari posset tum in terra Canaan aliam scripturam non fuisse nisi scripturam cuneiformem. Quod autem constat hanc in terra Canaan tantum in scriptis linguâ Akkadicâ confectis usurpatam esse,[2] existimari necesse est linguam Cananaeorum propriam scripturam habuisse.

[1] Quare ii, qui Mosen in aula Pharaonis scripturam cuneiformem didicisse putant (velut E. Naville, L'archéologie de l'ancien testament 26. 201. Paris 1914), vix recte iudicant. Nam Aegyptii certe Mosis commercio cum aliis Semitis non faverunt.

[2] Praeter „glossas Canaanaeas", quae in epistulis Amarna inveniuntur, nulla documenta habemus, quibus linguam Cananaeorum signis cuneiformibus scriptam esse demonstretur. Ceterum quoniam accepimus aliarum quoque gentium (velut Hethaeorum, Elamitarum, Persarum, Cappadocum, Armeniorum) linguas signis cuneiformibus scriptas esse, non esset, cur miraremur, quod Cananaei scripturâ cuneiformi uterentur.

Quae cum ita sint, nihil obstat, quin Cananaeos-Phoenices, quo tempore tabulae Amarna signis cuneiformibus conscriptae sunt, propriam linguam et scripturam habuisse existimetur.

2) Cananaei-Phoenices ea nomina mensium habent, quae apud Israelitas antiquos invenimus, apud Babylonios et Assyrios non invenimus. Atque ex antiquis Israelitarum nominibus mensium certo tria nomina (nomina mensis secundi *Zîv* = mensis splendoris, 1 Rg 6, 1. 37; mensis septimi *'Ethânîm* = mensis rivorum perennium, ib. 8, 2; mensis octavi *Bûl* = mensis pluviae, ib. 6, 38) apud Phoenices invenimus. Quae sufficere videntur, ut affirmemus reliqua quoque nomina fuisse communia. Quorum haec novimus: *Zebaḥšišim, Ḥîr, Mappa', Karar, Pe'aloth, Mirzaḥ, Marpe'*, plur. *Marpe'im*.[1] Quae nomina si perpendas, a rebus agriculturam spectantibus petita esse reperias.[2] Nomina autem mensium Babyloniorum et Assyriorum, quae in tabulis in Ninive effossis legimus, sunt haec: *Nisaannu, Airu, Sivanu, Du'uzu, Abu, Ululu, Tasritav, Araah samna, Kisilivu, Tibituv, Sabbatu, Addaru*.[3] Mensium igitur nominibus Cananaei-Phoenices et Babylonii-Assyrii distincti sunt.[4]

[1] M. Lidzbarski, Handbuch der nordsemitischen Epigraphik nebst ausgewählten Inschriften (Weimar 1898) I, 412. F. K. Ginzel, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie II (Leipzig 1911) 13 s. Dolendum autem est, quod ex inscriptionibus Phoeniciis tantum nomina mensium, non ordinem mensium cognoscimus.

Respiciendum est *ḥôdeš hâ-'âbîb* (= mensis aristae sive spicarum), quo Israelitae ex Aegypto emigraverunt et festum azymorum celebrabatur (Ex 13, 4; 23, 15; 34, 18; Dt 16, 1), in indice mensium Cananaeorum-Phoenicum non occurrere ideoque non ab iis receptum esse. Sed etiamsi inter illa nomina tale esset, ut id atque *ḥôdeš hâ-'âbîb* significaret, idcirco tamen id nomen non a Cananaeis-Phoenicibus recipi potuit; nam talis mutuatio locis allatis nihil aliud esset nisi anachronismus. Ceterum iis locis non dicitur primum illum mensem nomine *ḥôdeš hâ-'âbîb* appellandum esse, sed tantum in eo mense aristas maturescere. Itaque illud nomen postea nunquam invenitur, ne ibi quidem, ubi primus mensis commemoratur (Nm 20, 1; Jos 4, 19; 1 Chr 12, 15). Conferas F. X. Kugler. Von Moses bis Paulus (Münster i. W. 1922) 14 s.

[2] F. K. Ginzel (l. c. 15) *Pe'aloth* fortasse „mensem solutionis mercedis", *Mirzaḥ* „mensem laetitiae" (= Saturnalia), *Marpe'* „mensem quietis a laboribus" (= autumnum) significare putat. Num *Marpe'îm* eundem mensem ac *Marpe'* significet, dubium est. Nomen alterius quoque mensis esse potest.

[3] W. Muss-Arnolt, The names of the Assyro-Babylonian months and their regents. New-York 1893.

[4] H. Winckler (KAT, 330) ille quidem dicit Babylonios et Assyrios prius et ipsos alia mensium nomina habuisse. E quibus afferuntur: *araḫ muḫur ilâni* (KB, I, 8), *arḫu kuṣallu* (ib. 46), in documentis Cappadociis, quae vocantur: *arḫu-KAM kuṣalli* et *arḫu-KAM abšaranu* (ib. IV, 50), *arḫu-KAM šazaratim* (ib. 52), *arḫu-KAM zizuim* (ib. 54). Unde apparet nullum ex iis idem et par esse atque ullum mensium nomen Cananaeorum-Phoenicum. Idem in ea pristina mensium nomina Babyloniorum cadit, quae M. J. Lagrange (Études sur les religions sémitiques[2] [Paris 1905] 276: *GAN-MAS* = champ en fleur, *ŠU-KUL* = semence, *ŠEKIN-KUD* = moisson du grain, *ŠE-IL-LA* = croissance du grain), F. Thureau-Dangin (ZA, XV, 1900, 410), F.K. Ginzel (Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie I [Leipzig 1906] 113—115) afferunt.* Et quod H. Winckler (loco allato) dicit nomina mensium Nisaannu etc posteriore demum tempore apud Babylonios in usum venisse, ex epistula quadam Kallima-Sin, principis Babylonii, ad Nimmuria (Amenḥotep III) missa, ubi nomina mensium *Du'uzu* (= Tammûz) et *Abu* inveniuntur (EA 4, 39. 41. 44), efficitur illa mensium nomina iam prius apud Babylonios fuisse, quamquam ea inter mensium nomina, quae apud Cananaeos-Phoenices et Israelitas usitata fuisse traduntur, non invenimus. — Conferas E. König, Kalenderfragen im althebräischen Schrifttum (ZDMG, LX, 1906, 612—614). Quae ratio Canaanaeis mensium nominibus cum Babyloniis intercedat, A. Sarsowsky quoque commentatione quadam linguâ Neohebraicâ conscriptâ (Berolini 1907) explorare studuit.

Quae modo diximus, si respicias, „pallium Šin'ârˮ i. e. Babylonium (picturis variegatum),[1] quod Achan, cum urbs Jericho expugnaretur, surripuit (Jos 7, 21), nullius est momenti. Nam quamquam ex effossionibus quoque in Tell Ta'annek factis apparet merces a Babyloniis importatas esse, tamen id crebrum non fuit.[2]

* Antiquiore tempore sui cuique urbi fasti fuisse videntur ideoque varia mensium nomina in usu erant.

[1] Babylonii ab antiquis ob eximiam texendi artem celebrantur, praesertim cum „colores diversos picturae intexere scirent“ (Plin. Hist. nat. 8, 48, 196). Quae texta Romae tanto pretio erant, ut Catonis aetate „tricliniaria Babylonica sestertium octigentis milibus venisse“ dicantur (ib.).

[2] E. Sellin, Tell Ta'annek 95 et 101.

II

Opinionem illam Cananaeos solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos et rectos esse prorsus falsam esse apparet, si incolas Palaestinae inde ab antiquissimis temporibus magnum commercium cum Aegyptiis quoque habuisse observamus.

Id quod et monumentis et inscriptionibus Aegyptiorum demonstratur. Atque eorum monumentorum antiquissima sunt aetatis primae et secundae domus regnatricis (3400—2980). *Usaphais* ex prima domo regnatrice hominem Asiaticum clavâ prosternens fingitur. Iam multo ante eum Pharaones fodinis aerariis paeninsulae Sinaiticae potiti erant.[1] In qua re saepius pugnatum esse videtur. Quarum pugnarum unam ea imago repraesentat, ubi Semita quidam, qui ex paeninsula Sinaitica vel ex Palaestina meridiana oriundus est, fingitur. Lamina quaedam eburnea in sepulcro regis *Sen (Qa-ʿSen)* ex prima domo regnatrice inventa imaginem hominis Asiatici (Setet), quem Semitam esse clare cognoscitur, exhibet.[2] Postquam Pharao *Zoser* (ex tertia domo regnatrice 2980—2930) fodinas aerarias paeninsulae Sinaiticae denuo exercere coepit, etiam expeditiones in Palaestinam et Syriam renovatae sunt. Pharao *Snofru* (ex quarta domo regnatrice 2930—2750) magnum commercium et cum incolis paeninsulae Sinaiticae, ubi novas fodinas aerarias instituit et tabulam victoriae exstruxit,[3] et cum Syris habebat. Quadraginta naves in Syriam misit, ut e Libano ligna cedrina pro operibus suis adveherent. Id lignum Phoenices omnium mercium maxime in Aegyptum navibus invehebant. Portu ad eam mercaturam urbe Byblo utebantur, quae urbs antiquitus Aegyptiis nota erat.[4] In sepulcro quodam temporibus quintae domus regnatricis (2750—2625) confecto, quod in Dešâše (qui locus supra regionem Fajûm situs est) detectum est, Anti, nomarchus Heracleopoleos, Aegytiorum in Syria pugnas expressit. Fragmentis tabulae pictae expugnatio urbis Neṭi'a ostenditur: hostes devicti vultu Semitico, barbâ in labro et mento intonsâ, crinibus longis, naso prominente, vestimento longo sunt; oppidani arcubus clavisque se defendunt;

Aegyptii eos sagittis aggrediuntur et comminus bipenni utuntur; qui oppugnant, scalas moenibus applicant; uxores et liberi vulneratos fovent; princeps urbis in solio sedens capillos evellit, quia Aegyptios invadentes cernit, et nonnulli milites desperantes arcus confringunt; capitivi, uxores liberique abducuntur.[5] Imago quaedam aetate Pharaonis *Sahurê* (ex quinta domo regnatrice) confecta naves Aegyptias, quae e regione Libani domum revertuntur, exhibet; earum viri regem his verbis salutant: „Macte esto, Sahurê, deus viventium, qui pulchritudinem tuam spectant!" Praeter Aegyptios in navibus captivos Asiaticos ut Semitae vestitos videmus, qui et ipsi regem colunt.[6] Pariter vestitus est is homo Asiaticus, quem Pharao *Neuserrê* (ex quinta domo regnatrice) formâ leonis indutus prostravit pedeque humi opprimit. E temporibus Pharaonis *Pepi* sive *Phiops I* (sextae domus regnatricis 2625—2475) descriptio vitae summi cuiusdam praefecti Aegyptii, nomine Una, ad memoriam nostram pervenit, qui de quinque expeditionibus prosperis in paeninsulam Sinaiticam susceptis narrat; sextam expeditionem Pepi trans mare in „terram nasi antilopes" (promunturium Carmel?) fecit et incolis victis terrâ revertit.[7] Etiam effossionibus a Francogallis annis 1920 et 1921 Bybli (hodie Dschebeil) factis demonstratur Aegyptiis iam aetate antiquissimarum domuum regnatricum cum incolis orae maritimae Syriae et Palaestinae rationes intercessisse. Velut complura vasa ex alabastrite facta cum inscriptionibus regum quartae *(Mencheres)*, quintae *(Unas)*, sextae *(Pepi II)* domus regnatricis in sepulcro quodam prope Byblum inventa sunt.[8] Posteriores quoque Pharaones saepius in Palaestinam profecti sunt.[9] *Aḥmes* (1567—1554), auctor duodevicesimae domus regnatricis, urbem Saruhen (Jos 19, 6. Aeg. Saraḥana, hodie Ḳal'at el-'Arisch) triennium obsedit obsessamque cepit.[10] In inscriptione quadam templi loci Dêr el-Baḥri (quod a regina Ḥa'tšepsut, sorore et uxore Pharaonis Thutmes III, exstructum et ab Aegyptiis Zoser-zosru appellatum est) victoriae Pharaonis *Thutmes I* (1533—1507) et urbs nomine Niy commemorantur.[11] Maximi momenti est inscriptio Pharaonis *Thutmes III* (unâ cum Thutmes II et Ḥa'tšepsut 1501—1447) muro interioris partis templi Hammonis in vico Karnak siti inserta, qua Palaestinam et Syriam in dicionem eius redactas esse docemur.[12] Magistratus aliquis eiusdem Pharaonis, nomine Sen-nefer, in inscriptione, quae in sepulcro quodam in Schêch 'Abd el-Ḳurna prope Thebas sito exstat, de expeditione sua ad Libanum facta, ut ligna cedri apportaret, renuntiat.[13] Sub regibus, qui Pharaoni Thut-

mes III successerunt, Aegyptiorum in Palaestina potestas atque auctoritas magis magisque imminui coepit, et quamquam nonnulli eorum, ut Amenḥotep II (1447—1420), Thutmes IV (1420—1411), Amenḥotep III (1411—1375), expeditiones eo susceperunt, tamen iis non contigit, ut quae prius possederant, ea retinerent. *Sethos I* (1313—1292) imperio Aegyptio in Palaestina meridiana restituto usque ad regionem Ḥaurân progressus est, ubi monumentum columnae erexit, quod usque ad nostram memoriam pervenit. Imagine quadam templi Hammonis in vico Karnak siti principes Libani pro Sethos I cedros caedentes proponuntur. Regnante Pharaone *Ramses II* (1292—1225) inter Aegyptios et Mutallu, regem Hethaeorum, proelium prope urbem Ḳadeš ad fluvium Orontem sitam commissum est, quo facto Ḫattušil III, successor regis Mutallu, et Ramses II pactionem fecerunt, cuius textus Aegyptius in templo Hammonis (Karnak), textus Akkadicus in Boghazkōi inventus est. Ex qua pactione Palaestina septentrionalis Hethaeis, Palaestina meridiana Aegyptiis obtigit.[14] Alia monumenta expeditionum Pharaonis Ramses II in Palaestinam factarum sunt lapis Job (Ṣachrat Eijûb) prope vicum Schêch Sa'd in regione Ḥauràn situm[15] et imago expugnationis urbis Askalon, quae in templo Hammonis (Karnak) exstat. Regnante Pharaone *Ramses III* (1198—1167) imperium Aegyptium in Syria et Palaestina comminutum erat. Narratione Wen-Amon, quae eius aetatis est, efficitur principem urbis Bybli imperium Aegyptium iam non agnoscere. Pharao *Sisak* (945—924) demum contra Rehabeam, regem Juda, cum ingenti exercitu profectus complures urbes munitas cepit, Hierosolyma diripuit, multas res pretiosas abstulit (1 Rg 14, 25 s; 2 Chr 12, 2—9). Pharao quoque *Necho II* (609—593) Palaestinâ potiri conatus est. Nam cum regnum Assyrium periisset,[16] in Palaestinam profectus proelio prope urbem Megiddo anno 609 Josia, regem Juda, superavit (2 Rg 23, 29; 2 Chr 35, 20—23), ipse autem a Nebukadnezar II, rege Neobabylonio (605—562), prope Karkemiš (Dscherablus-Ḳal'a) urbem ad Euphraten superiorem sitam anno 605 devictus est (Jer 46, 2). Ex quo tempore Aegyptii iam nullam partem Syriae aut Palaestinae sub dicionem suam redegerunt.[17]

[1] Paeninsulam Sinaiticam Pharaones suam esse possessionem arbitrabantur ibique (velut in Wâdi Naṣb, Wâdi Maghâra, Wâdi Ba'ba', Ṣarâbîṭ el-Ḫâdem) plus duo milia annorum metalla exercebant. Quare nomine Aegypti non solum terra Nili, sed etiam tota paeninsula Sinaitica usque ad sinum Aelaniticum et fortasse regiones quoque ultra eum sitae appellabantur (M. J. Lagrange in RB, XI, 1902, 263). Atque in Ṣarâbîṭ el-Ḫâdem imprimis cuprum effossum est, in Wâdi Maghâra

(de quo videas G. Ebers, Durch Gosen zum Sinai[2] 144—153) imgrimis lapis *mfk't*, cuius Aegyptii duo genera distinxisse videntur: verum i. e. smaragdum et falsum i. e. molochiten (Malachit) et callaidem (Türkis)*. Utroque loco multae reliquiae operum et inscriptiones Aegyptiae inveniuntur. Fornaces aerariae ab Aegyptiis exstructae in Wâdi Naṣb inventae sunt, sed monumenta ibi non exstant. Stelâ Pharaonis Semerchet, septimi regis primae domus regnatricis, a W. M. Flinders Petrie in Wâdi Maghâra inventâ docemur Aegyptios iam quarto a. Ch. n. millennio partem paeninsulae Sinaiticae in suam dicionem redegisse.

A. H. Gardiner et T. E. Peet omnes inscriptiones in paeninsula Sinaitica inventas ediderunt: The inscriptions of Sinai (Egypt Exploration Fund) London 1917. Sunt trecentae quinquaginta quinque inscriptiones, inter quas undecim non Aegyptiae. Ceterum conferas M. Bénédite, La peninsule sinaïtique. Paris 1891. W. M. Flinders Petrie, Researches in Sinai. London 1906. A. Šanda, Moses und der Pentateuch (Alttestamentliche Abhandlungen IX, 4—5. Münster i. W. 1924) 368—371: Die aegyptischen Bergwerke des Sinai.

[2] E. Meyer, Sumerier und Semiten (Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften 1906, III) 20—22.

[3] J. H. Breasted, Ancient records of Egypt. Historical documents from the earliest times to the Persian conquest (Chicago 1906) I, 146 s. 168 s. 722. 731. — Pharao Snofru imperium Aegyptiorum in paeninsula Sinaitica condidisse existimabatur et ut deus praeses eius colebatur.

[4] K. Sethe, Zur ältesten Geschichte des aegyptischen Seeverkehrs mit Byblos (Zeitschrift für aegyptische Sprache und Altertumskunde XLV, 10).

[5] E. Meyer, Geschichte des Altertums[3] I, 2 (Stuttgart-Berlin 1913) 209.

[6] Mitteilungen der Deutschen Orient-Gesellschaft 1908, Bl. 6—7.

[7] K. Sethe, Urkunden des alten Reiches (Leipzig 1903) 98—110. J. H. Breasted, Ancient records of Egypt I, 315.

[8] Academie des inscriptions et belles-lettres, comptes rendus 1922, 7—20. H. Gressmann, Byblos (ZAW, N. F. II, 1925, 225—242). H. Vincent, Les fouilles de Byblos (RB, XXXIV, 1925, 161—193).

[9] Aetate Sesostris I (1980—1935) Syriam et Palaestinam non ad regnum Aegyptiorum pertinuisse e narratione Sinuhe, Aegyptii cuiusdam nobilis (H. Gressmann, ATAT[2] 55—61), apparet, qui e patria sua fugit atque a principe Bybli hospitio exceptus et maritus filiae eius factus compluribus annis post in Aegyptum rediit. Quatenus verba illius principis: „Bene vivis apud me et sermonem (proprie os) Aegyptium audis" vero respondeant, quamquam diiudicare non possumus, tamen illius narrationis ratione habitâ dubium non est, quin Syria et Palaestina tum non Aegyptiis subditae fuerint. Contra id neque lapis memorialis magistratus cuiusdam Aegyptii, qui aetatis Sesostris II (1906—1887) atque in Tell Dschezer inventus est (A. Bertholet, Kulturgeschichte Israels 30. Göttingen 1919), neque inscriptiones Aegyptiae aetatis Pharaonum Amenemhêt III (1849—1801) et Amenemhêt IV (1801—1792) afferri possunt. Eo tempore Hethaei in Syriam septentrionalem invaserunt et saeculis

---

* In Wâdi Maghâra nonnulli stationem Israelitarum nomine *Dôfkâ* (Nm 33, 12 s.) quaerunt, cum existiment מפקה (Aeg. *mfk't*) pro דפקה legendum esse.

sequentibus etiam atque etiam Syriam et Palaestinam sub suam dicionem redigere conati sunt. Circa annum 1900 Muršil I, rex Hethaeorum, urbem Aleppo (Keilschrifttexte aus Boghazköi [Leipzig 1916 ss.] I, 6) et Ḫantiliš eius successor urbem Karkemiš (ib. III, 1; I, 36) ceperunt.

[10] K. Sethe, Urkunden der 18. Dynastie (Leipzig 1906—08) 1 ss. Prius urbs Saruhen quinque vel sex annos obsessa esse putabatur. Ex inscriptione autem quadam anno 1905 in el-Kab inventa Pharaonem Aḥmes eam urbem post obsessionem trium annorum cepisse et magnâ praedâ potitum revertisse apparet (Zeitschrift für aegyptische Sprache und Altertumskunde XLII, 136).

[11] J. H. Breasted, Ancient records of Egypt II, 125. De urbis Niy in Palaestina septentrionali situ videas W. M. Müller, Asien und Europa nach altaegyptischen Denkmälern (Leipzig 1893) 262 s.

[12] W. M. Müller, Die Palästinaliste Thutmosis III (MVAG, XII, 1) Leipzig 1907. — Regnum Pharaonis Thutmes III gloriosissimum est. Expeditionibus in Syriam usque ad Euphraten et ad meridiem versus in Nubiam susceptis multos principes stipendiarios sibi reddidit, ut Aegyptii nunquam opulentiores fierent quam illius aetate.

[13] K. Sethe, Eine aegyptische Expedition nach dem Libanon (Sitzungsberichte der Berliner Akademie der Wissenschaften 1906, XV, 356 ss.).

[14] W. M. Müller, Der Bündnisvertrag Ramses' II und des Chetiterkönigs im Originaltext herausgegeben und übersetzt (MVAG, VII, 5) Berlin 1902.

[15] Lapis Job est monolithus ex basalte, 2 m altus, cum inscriptione Aegyptia atque imaginibus Pharaonis Ramses II et Osiridis. Conferas ZDPV, XIV, 1891, 142—147 *(G. Schumacher)*, ib. XV, 1892, 196—204 *(J. P. van Kasteren)*, 505—211 *(A. Erman)*.

[16] Ex tabula cuneiformi nr. 21901 musei Britannici, quae res maximi momenti a decimo anno usque ad septimum decimum annum (616—609 a. Ch. n.) regis Nabopolassar, auctoris novae domus regnatricis Babyloniorum, factas continet, urbem Ninive anno 612 (Julio—Augusto), non anno 607/6 demum, deletam esse perspicimus. Conferas C. J. Gadd, The fall of Niniveh. London 1923. P. Dhorme, La fin de l'empire assyrien d'après un nouveau document (RB, XXXIII, 1924, 218—234). J. Linder, Das Ende des assyrischen Reiches (ZkTh, XLVIII, 1924, 453—456). A. Gampert, La chute de Ninive d'après un document récemment découvert (Revue de théologie et de philosophie LIII, 1924, 304—307). H. Gressmann, ATAT² 361—365.

[17] Conferas A. Jirku, Der Kampf um Syrien-Palästina im orientalischen Altertum (AO, XXV, 4) Leipzig 1926.

III

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin incolis Palaestinae iam inde ab antiquissimis temporibus magnus usus cum Aegyptiis fuerit. Etiam rebus recentiore aetate in Palaestina effossis demonstratur Aegyptios apud Cananaeos, si cultum profanum respicimus,

usque ad Israelitarum immigrationem plurimum valuisse. Atque multae res inventae sunt, quae aetate regni medii confectae, et plures, imprimis in Palaestina meridiana, quae ad quintum decimum fere saeculum referendae sunt. Neque dubium est, quin Aegyptiorum merces fictiles, amuleta, ornamenta, mensurae, pondera plurima in Palaestinam importata aut opifices indigenae ea imitati sint. Velut in Tell Dschezer scarabaei aetatis duodecimae et tertiae decimae domus regnatricis multaque ornamenta Aegyptia (lunulae argenteae, acus aureae et argenteae, redimicula frontis ex lamina aurea facta, armillae aureae) effossa sunt.[1] In Tell el-Ḥasî duo scarabaei aetatis duodecimae domus regnatricis inventi sunt, quorum unus nomine reginae Teje, coniugis Pharaonis Amenḥotep III, ornatus est. In Tell eṣ-Ṣâfije multae merces Aegyptiae ex opere Faventino (Fayence) vel aere, amuleta, scarabaei, ornamenta varii generis inventa sunt. In Tell Zakarjâ multa ornamenta originis Aegyptiae et patera quaedam ex opere Faventino effossa sunt. In Tell el-Mutesellim (in arce Aegyptia, quae vocatur) multi scarabaei et vasa partim formae Aegyptiae partim Syriae, praeterea acus, armillae, margaritae, alia ornamenta (etiam ex opere Faventino) inventa sunt. In Tell Ta'annek quoque scarabaei, etiamsi non tot quot in Tell el-Mutesellim, effossi sunt: unus scarabaeus figuram humanam cum virga longa exhibet; alii leo incisus est; alius rursus symbola hieroglyphica, quibus coniunctio Aegypti superioris et inferioris exprimitur, et signum „Nefer" gerit. In Tell eṣ-Ṣâfije et Tell Dschezer inscriptiones quoque Aegyptiae inventae sunt, quae vel ex Aegypto importatae vel a magistratibus Aegyptiis conscriptae sunt. In Tell el-Ḥôṣn, ubi arx antiquae urbis Bethsean (Bêsân) fuit, monumenta Aegyptia effossa sunt: duae stelae Pharaonis Sethos I; una stela Pharaonis Ramses II, cuius in inscriptione nomen Pi-Ramesse (= Ra'amsês, Ex 1, 11) occurrit; statua Pharaonis Ramses III. Effossionibus quoque recentissime in Bêsân factis demonstratur, quantum ibi Aegyptiorum cultus atque humanitas valuerit. Item in 'Ain Schems vestigia exstant, unde Aegyptiorum cultum profanum ibi multum valuisse apparet. Neque vero pauciores res originis Aegyptiae in Palaestina septentrionali effossas esse mirum est, quippe cum Aegyptii in Palaestina meridiana plus valuerint quam in Palaestina septentrionali. Effossionibus quoque urbis Jericho (Tell es-Sulṭân) ab E. Sellin factis demonstratum est Aegyptios ibi paulum valuisse. Quod tamen a longinquitate urbis illius facile explicatur. Linguam autem Aegyptiam in

Syria et Palaestina, quamquam eae terrae Aegyptiorum imperio per saecula parebant, divulgatam non fuisse ex effossionibus apparet.[2]

[1] M. Pieper, (Die aegyptischen Skarabäen und ihre Nachbildungen in den Mittelmeerländern. Zeitschrift für aegyptische Sprache und Altertumskunde LX, 45—50) minimum dimidiam partem scarabaeorum in Tell Dschezer effossorum non ab Aegyptiis, sed ab indigenis confectam esse existimat.

[2] Videas W. M. Flinders Petrie, Tell el Hesy (Lachish) London 1891. F. J. Bliss and A. S. Macalister, Excavations in Palestine during the years 1898—1900. London 1902. E. Sellin, Tell Ta'annek. Wien 1904. Eine Nachlese auf dem Tell Ta'annek. ib. 1906. Tell el-Mutesellim. Bericht über die 1903—05 veranstalteten Ausgrabungen. I. Bd. G. Schumacher, Fundbericht, hrsg. von *C. Steuernagel*. Text und Tafeln. Leipzig 1908. A. S. Macalister. The excavation of Gezer 1902—05 and 1907—09. 3. vol. London 1912. E. Sellin und C. Watzinger, Jericho. Die Ergebnisse der Ausgrabungen dargestellt. Leipzig 1913. D. Mackenzie, Excavations at Ain Shems (Beth-Shemesh). Illustrated by plans and drawings by *F. G. Newton* and by photographs of pottery and other objects found in the excavations (PEF, Annual 1912—13). Harvard excavations at Samaria (1908—10) by G. A. Reisner, C. S. Fisher and D. G. Lyon. 2 vol. Cambridge (U.S.A.) 1924. A. S. Macalister, A century of excavation in Palestine. London 1925.

Contra effossionibus recentioribus non efficitur usque ad octavum a. Ch. n. saeculum Babyloniorum Assyriorumque auctoritatem ad profanum cultum incolarum Palaestinae aliquantum pertinuisse.[1] Atque bene respiciendum est praeter tabulas signis cuneiformibus conscriptas, quae in Tell Ta'annek, Tell el-Ḥasi atque prope Nâbulus inventae sunt, adhuc neque in Tell Dschezer neque in Tell el-Mutesellim neque in Tell es-Sulṭân neque alibi vel tabulas signis cuneiformibus impletas vel alia vestigia, quibus Babylonios in rebus profanis incolarum Palaestinae aliquantum valuisse demonstraretur, deprehensa esse. In compluribus locis parietinarum tabulae fictiles ad signa cuneiformia accipienda destinatae (in cistis fictilibus servatae)[2], sed non inscriptae inventae sunt;[3] unde nihil aliud colligi potest nisi scripturam cuneiformem in terra Canaan haud ignotam fuisse, antequam Israelitae eo immigraverint. Aliis autem rebus inventis id unum demonstratur circa annum a. Ch. n. 1400 Cananaeos in profano cultu praeter Aegyptios ex parte Babyloniorum quoque auctoritatem secutos esse. Velut multis sigillis et auctoritas Aegyptiorum ostenditur, quod formam Aegyptiam exhibent, et Babyloniorum, quod fabricatores ea non solum nomine alicuius dei Babyloniorum vel Assyriorum ornaverunt, sed etiam deum aliquem vel aliam figuram ita expresserunt, ut Babylonii vel Assyrii solent.[4] Nonnulla sigilla praeter textum signis cuneiformibus conscriptum etiam textum hieroglyphicum

continent. Velut cylindro signatorio hominis Canaanaei, nomine Atanaḫili, ab E. Sellin in Tell Ta'annek invento, qui ad aetatem regis Ḫammurapi referendus est (id quod ex nominibus propriis haud dubie colligi potest) atque ex lapide nigro in Palaestina confectus et 3 cm altus est, docemur ibi iam circiter duobus milibus annorum a. Ch. n. cultum humanum Babyloniorum et Aegyptiorum permixtum fuisse existimandum esse. Nam exhibet imaginem Babyloniam duorum deorum (vel dei et sacerdotis, quae interpretatio fortasse rectior est), inter eos signum lunae et aliud signum incertum, post figuram dextram stellam et signum Aegyptium „Nefer", praeterea inscriptionem Babyloniam et tria signa hieroglyphica: bis „signum vitae" *('anḫ)* infraque id avem aliquam.[5] Accedit, quod ex iis, quae inventa sunt, constat Aegyptiorum auctoritatem ad mores institutaque incolarum terrae Canaan diutius pertinuisse quam Babyloniorum eamque etiam tum, cum Israelitae eâ terrâ potiti erant, permansisse. Atque Aegyptum omnibus temporibus in terra Canaan magna fuisse auctoritate iam ex eo ipso apparet, quod ei multo propius sita erat quam Babylonia. Quod autem etiam quarto decimo a. Ch. n. saeculo scriptura Babylonia et lingua Akkadica in terra Canaan praeponderabant, quamquam Babylonii ad eius civitates iam nihil pertinebant, nemini mirum videri potest, qui respicit civitates recentioris aetatis, quamquam principatus Francogallicus per longum tempus fractus erat, tamen in mutuo usu linguam Francogallicam usurpavisse. Ceterum inde a vicesimo fere saeculo etiam cultus Mycenaeus vel Aegaeus ad incolas Palaestinae aliquantum pertinuisse demonstrari potest.

[1] Aptum ad alliciendos legentium animos est observare etiam secundum Ez c. 16 Aegyptiorum (v. 26 s.), Assyriorum (v. 28), Babyloniorum (v. 29) auctoritatem aliam post aliam ad Israelitas pertinuisse.

[2] In Aegypto papyri quoque inventae sunt, quae in vasis inclusae erant, quem morem etiam Jeremia 32, 14 testatur, cum Baruch duas tabulas emptionis (unam apertam, alteram obsignatam) in vase fictili ponere iubet, ut diu serventur.

[3] Velut E. Sellin in Tell es-Sulṭân viginti duas tabulas fictiles, octona cm longas, quina et dimidium cm crassas invenit, quae tamen sine scriptura ideoque crudae erant (MuNDPV, 1907, 68). In Tell Ta'annek quoque tabulae non inscriptae effossae sunt.

[4] Apud *Aegyptios* sigillum formâ scarabaei (*Ateuchus sacer* L.) est, qui apud eos antiquitus sacer habebatur; nam signum est dei Solis: globum stercoris ante se promovet ut deus Solis solem. Conficiebatur ex gemma, ebore, ligno, rarius ex metallo vel vitro et interdum eius forma aliquid mutabatur *(scarabaeoida)*. In parte inferiore signa hieroglyphica (quae nomina deorum vel regum, rarius hominum

privatorum, nonnunquam bona omina vel magicas formulas continent) vel variae figurae (ut orbis solis, aves, serpentes, loti, imagines venationis) vel formae geometricae (ut lineae tortuosae et circuli) insculpebantur. — Conferas A. Wiedemann, Die Religion der alten Aegypter (Münster i. W. 1890) 155—157. Paulys REclAW², 2. Reihe, 5. Halbband (Stuttgart 1927) 447—459. H. Gressmann, ABAT² (Berlin-Leipzig 1927) fig. 573 et 574.

Apud *Babylonios* contra sigillum formâ cylindri est, ad quem conficiendum lapis (plerumque porphyrites, basaltes, lapis lazuli, magnes lapis, iaspis) vel creta, qua figuli utuntur, adhibebatur. Habebat varia signa scribendi et imagines incisa. Quae imagines propterea saepe ad cultum divinum pertinent, quod sigilla Babyloniorum, quae circa collum aut in digitis gestabantur, et decori et tutelae morborum periculorumque destinata erant, quod idem in scarabaeos Aegyptiorum cadit. Ceterum cylindrus signatorius in Aegypto quoque ab aetate praehistorica usque in tempora duodevicesimae domus regnatricis (1580—1350) in usu fuerat, postea autem scarabaeus solus fere eius loco usurpabatur.

[5] E. Sellin, Tell Ta'annek 27 s. Eius sigilli imaginem videas in H. Gressmann, ABAT² fig. 577.

Babylonios igitur apud Cananaeos in cultu profano multum valuisse non constat. Atque praeter alios D. D. Luckenbill quoque (The excavations in Palestine. BW, XXXV, 97—105) contendit Aegyptios Babyloniis multo plus apud incolas terrae Canaan valuisse. Idem plane negat Babylonios longe ante Aegyptios auctoritatem apud eos habuisse et (The early religion of Palestine, ib. 296—308. 368—379) demonstrare studet de maiore apud incolas terrae Canaan auctoritate cultus humanitatisque Babyloniorum non prius dici posse quam aetate Assyriorum.

Plurimi autem refert, quantopere notiones religionis Babyloniorum eorumque opinionis mythologicae apud Cananaeos divulgatae fuerint, ut ab his ad Israelitas transire potuerint.

IV

Multi viri docti recentioris aetatis auctoritatem Babyloniorum ad religionem Cananaeorum haud parum pertinuisse contendunt. Quod ut demonstrent, afferunt

1) in Tell el-Amarna tabulas inventas esse, quae reliquias mythi de nuptiis *Ereškigal,* deae inferorum, et *Nêrgal,* dei belli, venationis, pestilentiae, inferorum, atque partem mythi de *Adapa,* filio dei Ea, continent.[1] At cum ibidem multae tabulae inventae sint, quae ex Babylonia in Aegyptum missae sunt, iudicare licet illos quoque textus mythologicos ex Babylonia in Aegyptum venisse atque eorum quoque scripturâ et genere dicendi eos potius ex Babylonia quam ex terra Canaan profectos esse declaratur.[2]

[1] Duae reliquiae mythi de Ereškigal et Nêrgal Londini et Berolini asservantur. Textus praebetur in KB, VI, 1, 74—79 (cf. H. Gressmann, ATAT[2] 210—212). Mythum de Adapa primo ex tabulis Amarna cognovimus. Postea etiam in bibliotheca regis Assurbanipal tres textûs reliquiae, quae ad eum pertinent, inventae sunt. Omnes illos textus in KB, VI, 1, 92—101 et XVII s. reperies (cf. H. Gressmann, l. c. 143—146).

[2] A. Jeremias, ATLAO[3] 42.

2) cylindrum illum signatorium in Tell Ta'annek inventum cum inscriptione signis cuneiformibus expressa

A ta na aḫ ili		*Atanaḫili*
apil Ḫa ab ši im	i. e.	*filius Ḫabši*
arad (ilu) *Nêrgal*		*servus* (dei) *Nêrgal*

quem iam supra descripsimus. Verba „servus (dei) Nêrgal" nihil aliud nisi „cultorem (dei) Nêrgal" valere ex imagine, ubi adorantem quendam, qui possessor sigilli putandus est, coram Nêrgal videmus, elucet. Neque dubium est, quin aliquis artifex indigena (homo Canaanaeus vel colonus Babylonius) sigillum finxerit. Etsi autem Atanaḫili hominem Canaanaeum fuisse statuimus, tamen inde neque efficitur cultum dei Nêrgal inter Cananaeos latius patuisse (nam Atanaḫili de deo patrio cogitasse, in cylindro signatorio autem formâ et scripturâ Babyloniâ usus esse potest)[1], neque aliorum deorum Babyloniorum cultum in terra Canaan vulgo exercitatum esse, cuius rei certa argumenta desunt. Solum nomen urbis Nebô in finibus tribus Ruben sitae (Nm 32, 3. 38; 33, 47; Jes 15, 2; Jer 48, 1. 22; 1 Chr 5, 8)[2] et montis Nebô (Dt 32, 49; 34, 1), quod ad Nabû deum Babylonium referendum est, auctoritati Babyloniorum attribui potest.[3]

[1] Conferas E. Sellin, Tell Ta'annek 105. H. Vincent, Canaan d'après l'exploration récente (Paris 1907) 170 s. — Idem iudicandum est, quod in epistula regis cuiusdam insulae Alašia sive Cypri dei Nêrgal mentio fit (EA 35, 13). Neque de nonnullis sigillis Cypriis dubium est, quin possessores eorum de deo patrio cogitaverint, sed in sigillis formâ et scripturâ Babyloniâ usi sint.

[2] Urbs nomine Nebô in finibus tribus Juda sita (Esr 2, 29; 10, 43; Neh 7, 33) fortasse eadem est atque urbs sacerdotalis Nôb.

[3] J. Hehn autem (Die biblische und die babylonische Gottesidee 391. Leipzig 1913) nomen montis Nebo, ubi Moses diem supremum obiit (Dt 34, 5), cum deo Babylonio eiusdem nominis aequandum esse negat. Atque secundum A. Musil (Arabia Petraea I, 3. Wien 1907) nomen *en-Neba'*, quo is mons hodie vocatur, „culmen montis" κατ' ἐξοχήν significat.

3) mythum de *Adonide* apud Cananaeos et Phoenices vulgatum. Qui quidem mytho de Tamûzu Babylonio (Sum. Dumuzi, Hebr. Tam-

mûz) similis, sed non par aequalisque est.[1] Praeterea Osiridis cultus Aegyptius cum Adonidis cultu Phoenicum comparari potest et Aegyptiorum religionem Bybli, ubi veneratio Adonidis imprimis florebat,[2] haud parvi momenti fuisse recentiore aetate magis magisque cognitum est.[3]

[1] H. Zimmern in *J. Hastings*, Encyclopaedia of religion and ethics II (Edinburgh 1909) 313. W. W. Baudissin, Adonis und Esmun. Eine Untersuchung zur Geschichte des Glaubens an Auferstehungsgötter und an Heilsgötter (Leipzig 1911) 133. — Conferas etiam F. Lenormant, Il mito di Adone-Tammuz nei documenti cuneiformi (Atti del 4. congresso degli Orientalisti) Firenze 1880. C. Vellay. Le dieu Thammouz et ses rapports avec Adônis (Revue d'histoire des religions XLIX, 1904, 154—162).

[2] Videas Lucian. De Syria dea § 6—8. H. Gressmann, Tod und Auferstehung des Osiris nach Festbräuchen und Umzügen (AO, XXIII, 3) Leipzig 1923.

[3] M. J. Lagrange, Études sur les religions sémitiques 178.

4) Babyloniorum igitur auctoritatem ad Cananaeorum religionem haud parum pertinuisse dici non potest. Ad hoc respiciendum est multa *deorum simulacra originis Aegyptiae* in Palaestina effossa esse, quae cum parva sint, non ad cultum publicum adhibita esse possunt. Neque in templis, sed tantum in domibus et sepulcris inventa sunt, et cum multa eorum foraminibus praedita sint, tantum loco penatium vel amuletorum in usu fuisse videntur.

Quod si magnum inter Cananaeos et Aegyptios commercium respicias, non mireris; nam in Palaestina multi Aegyptii (imprimis mercatores, milites, magistratus) erant, qui in peregrina quoque terra cultum suorum deorum exercebant. Atque Cananaei et ipsi, ut favorem Pharaonis sibi conciliarent, nonnulla e religione Aegyptiorum recepisse existimandi sunt.

Velut in Tell Dschezer complura simulacra deorum Aegyptiorum inventa sunt: *Sobek* (Graece *Suchos*) capite crocodili ornatus, quem Aegyptii postea, cum eum deo solis Râ' aequarent, cum orbe solis fingebant; dea *Sachmet*, femina capite leonis et orbe solis praedita, i. e. dea quaedam solis; *Ḥâpi*, deus Nili. In Tell el-Ḥasî simulacrum dei *Ptaḥ*, qui in urbe Memphi ut procreator mundi et primus rex Aegypti colebatur, effossum est. Ibi sacrarium quoque *Hathôr*, deae amoris et voluptatis, fuisse videtur; nam W. M. Flinders Petrie aedificium 10 m fere et longum et latum effodit, ubi capitula cornibus arietum ornata et tabula fictilis cum imagine deae Hathôr inventa sunt. In collibus ruinarum planitiei Sephela multa simulacra deorum Aegyptiorum inventa sunt, in quibus dea *Bastet*, quae vel ut felis vel cum capite felis fingebatur. Ibi etiam simulacrum *Isidis* cum *Horo** infante effossum est. In

* Nomine Hori *(Ḥer)* initio duo dii diversi significabantur: Horus filius Isidis et Horus deus solis. Postea demum exstiterunt, qui eos deos ita confundere conarentur, ut quod bellum Horus deus solis cum viribus tenebrarum gerebat, id filii Isidis dimicationi cum Set aequarent.

Tell Dschezer *Osiris* quoque, maritus Isidis et pater Hori, inventus est. In tabula quarta Ta'annek lin. 6 dei *A-mu-na* i. e. Hammonis* cum mentio fiat (E. Sellin, Tell Ta'annek 119 s.), is in urbe Thaanach vel in locis, quae circa erant, cultus esse videtur. Maxime autem deorum Aegyptiorum in Palaestina vulgo colebatur *Bes;* nam numerus simulacrorum eius ibi inventorum multo est maior quam aliorum deorum. Neque vero Bes magnorum, sed humilium deorum est, qui formâ suâ, cum formas et hominis et animalis in se coniungat, de satyris Graecorum admonet. Fingebatur ut foedus pumilio cum barba, longis auribus et bracchiis, curvis cruribus et pendente cauda. Eius est musicâ, saltatione, aliis rebus similibus magnos deos delectare. Amicus bonis et inimicus malis esse putabatur. Postea cum deo solis coniungebatur. Aegyptii novi regni potissimum simulacra Bes in domibus suis collocaverunt atque liberis suis eius nomen indiderunt eosque eius tutelae commendaverunt. Interdum eius simulacra perforata erant, ut circa collum gestari possent, id quod simulacro aeneo in Tell el-Ḥasî invento docetur. In Tell el-Mutesellim simulacrum dei Bes ex opere Faventino atque in Tell Ta'annek ex argilla in lapidis duritiem efficta in sepulcro quodam Aegyptio inventum est (E. Sellin, l. c. 88). Ex quo, cum verisimile sit Aegyptium quendam in urbe Thaanach mortuum in eo sepulcro conditum esse, nihil colligi potest, quae fuerit religio oppidanorum. Alio simulacro eiusdem in Tell Ta'annek invento etiam aetate Israelitarum auctoritatem Aegyptiorum in religione ibi aliquid valuisse demonstratur (E. Sellin, l. c. 73 s. 105). Ceterum simulacra Bes non solum ex Aegypto importabantur, sed etiam in Palaestina ipsa conficiebantur. Velut simulacrum Bes in Tell el-Ḥasî effossum, quod supra commemoravimus, cum aes in Aegypto rarissimum usum haberet, in Palaestina ipsa confectum esse verisimile est. In Tell Dschezer etiam forma fictilis, quae ad simulacra fingenda adhibebatur, inventa est (H. Vincent, Canaan d'après l'exploration récente 171).**

Sed *deorum simulacra originis Babyloniae,* si complura simulacra Astartes (Ištar) excipias, inventa non sunt. Tantum in Tell eṣ-Ṣâfije F. J. Bliss fragmenta stelae Babyloniae et complura sigilla imaginibus, quae ad mythos vel cultum deorum Babyloniorum spectant, ornata invenit. Etiam in Tell el-Mutesellim sigillum inscriptione Babyloniâ praeditum effossum est, quae tamen iam intellegi non potest. Quod omnibus, qui Babyloniorum auctoritatem apud Cananaeos plurimum valu-

---

* In epistulis Amarna nomen dei Hammonis vocabulo *A-ma-nu-um* (1, 46; 19, 76) vel *A-ma-u-nu* (20, 26) vel *A-ma-nu* (20, 74) vel *A-ma-na* (71, 4; 86, 3; 87, 5) redditur.

** F. Ballod (Prolegomena zur Geschichte der zwerghaften Götter in Aegypten. Moskau 1913) demonstravit Aegyptios magnum numerum deorum pusillorum coluisse, quorum unus Bes nominatur, cum antea omnes dii pusilli Bes appellarentur. Quare simulacra in Palaestina inventa et nomine Bes significata non omnia Bes esse existimanda sunt; quamquam omnibus iis simulacris dii pusilli Aegyptiorum ficti sunt. — Videas etiam J. Krall, Über den aegyptischen Gott Bes (in *J. Bendorf* und *G. Niemann,* Das Heroon von Gjölbaschi-Trysa. Wien 1889).

isse contendunt, quantum autem Aegyptiis in ea re tribuendum sit, prorsus praetereunt, maxime mirum esse oportet.

Simulacra Astartes in Palaestina inventa partim ex argilla, partim ex aere confecta atque tam parva sunt (circiter 12—18 cm alta), ut non in publico, sed tantum in privato cultu adhibita esse possunt. Quamquam autem singulae figurae multis rebus inter se discrepant, tamen universa forma deae semper eadem manet: est nuda, gestat coronam in capite, anulos circa collum et pedes, cingulum circa coxas, bracchia super pectus decussa, coxae et mammae valde eminentes sunt. Praeterea feminarum imagines inveniuntur, quae vel gravidae sunt vel infantem in bracchio portant; quarum frons duobus cornibus ornata est, ut in diis antiquorum Aegyptiorum observare solemus; aliae capite avis magnis inauribus praeditae sunt; aliae sine tegmine capitis. Antea Phoenica prima patria eorum simulacrorum, quae in Cypro quoque inventa sunt et tota Asia anteriore crebra erant, esse putabatur; sed falso id putatum esse videtur. Nam nonnullis simulacris Babyloniorum auctoritas clare demonstratur; alia potius ad Aegyptios pertinent, quod habitu capillorum et flore loti, quem sinistrâ gestant, de Hathôr dea Aegyptia admonent. Israelitae quidem, ex quorum aetate nonnulla eorum simulacrorum repetenda sunt, dubium non est, quin ea ad deam Aschera (= Astarte) vel „reginam caeli" referebant, cuius cultum etiam Jeremia 7, 18; 44, 17—19. 25 commemorat. In Tell Ta'annek plus viginti simulacra Astartes inventa sunt, quorum undeviginti eâdem fere formâ sunt (i. e. eodem fere modo coronâ, collari, compedibus, cingulo, comptu distincta et ornata), unde colligere possumus in antiqua urbe Thaanach singularem ac propriam formam Astartes fuisse. Reliqua (tria vel quattuor) simulacra eâ formâ sunt, qua vel Babylonii vel Cyprii vel Aegyptii eam deam fingebant. Maximi momenti est figura illa aenea, 15 cm alta et tenui tegimento vestita, quae in basi affigi poterat. — Videas E. Sellin, Tell Ta'annek 40. 45. 50. 73 s. 80. 105 s. Eine Nachlese auf dem Tell Ta'annek 16 s. 22 s. 26. 32. Der Ertrag der Ausgrabungen im Orient für die Erkenntnis der Religion Israels (Leipzig 1905) 26. 29 s. E. Pilz. Die weiblichen Gottheiten Kanaans (ZDPV, XLVII. 1924, 129—168).

5) Neque vero praeter paucas eas similitudines, quas commemoravimus, *diversitates religionum Cananaeorum et Babyloniorum* neglegendae sunt. Velut Cananaei de deo et origine mundi singulares opiniones habebant, id quod ex Philone Byblio[1] aliisque auctoribus intellegimus.[2] Atque cum Babylonii Assyriique deam Ištar cum stella Veneris coniungerent, Cananaei Syrique eam Lunae aequaverunt[3], unde gentes Asiae anterioris in ea re Babylonios secutas non esse cognoscimus. Falso igitur religio Cananaeorum „religio orientis antiqui" fuisse dictum est.[4]

[1] Apud Euseb. Praep. evang. 1, 10. MSG, 21, 76—89.

[2] Videas M. J. Lagrange, Études sur les religions sémitiques[2] 406. E. König in ExpT, XXIV, 1912/13, 550.

[3] Conferas Gn 14, 5: *'Ašterôt Ḳarnaim* = Astartae cornutae. Lucian. De Syria dea § 4: Σελήνη.

[4] H. Winckler, Religionsgeschichtlicher und geschichtlicher Orient 33.

6) Quamquam autem in religione ac generatim in cultu animorum nonnullae similitudines Cananaeis cum Babyloniis intercedunt, tamen perperam id ita explicatur, ut Cananaei in ea re solam auctoritatem Babyloniorum secuti sint. Eae similitudines potius ad aliam rationem revocandae sunt. Atque cultus animorum Aegyptiorum ille quidem adeo singularis erat, ut ad incolas terrae Canaan pertinere non posset. Contra is cultus Babyloniorum multis rebus Cananaeorum cultui similis erat, nisi quod multo magis progressus erat. Ita explicatur, cur Babyloniorum cultus animorum ad religionem, ad mores ritusque Cananaeorum magis pertinuerit quam Aegyptiorum, qui, cum Canaan diu provincia Aegyptia esset, in rebus profanis Cananaeorum multum, sed in cultu animorum eorum parum valuerunt. Atque frustra Aegyptii suos cultus sacros in Canaan instituere conati sunt. Qui cultus ne ibi quidem, ubi praefecti Aegyptiorum imperitabant, ut Hierosolymis, inveterascere potuerunt, etiamsi fortasse haud pauci Cananaei, ut Pharaoni voluntatem suam probarent, praeter deos patrios complures quoque deos Aegyptios coluerunt. Unde id quoque apparet, quod cultus animorum Cananaeorum ei cultui Babyloniorum similior sit, falso soli Babyloniorum auctoritati attribui.

In Palaestina et Phoenice usque ad finem novi regni aliquem cultum Aegyptium exercitatum esse constat. Pharaones enim ibi templa exstruxerunt. Velut Ramses III (1198—1167) se deo Hammoni in terra Zahi i. e. in Palaestina meridiana domum aedificasse dicit (Magna papyrus Harris 9, 1 ss.)*. Eundem deum in Thaanach cultum esse ex effossionibus ibi factis constat (cf. tab. Ta'annek 4, 6). In Lachis sacrarium deae Hathôr dicatum erat. Lapides signatorii imagines deorum Aegyptiorum ostendunt; ipsa sepulcra Aegyptium in modum picturis ornabantur etc. Neque vero unquam religio Aegyptiorum ibi principatum obtinuit idque ne Bybli quidem, cuius incolae ex antiquissimis temporibus cum Aegyptiis mercaturam faciebant, id quod ex narratione Wen-Amon hominis Aegyptii, qui circa annum a. Ch. n. 1100 Byblum profectus est, cognoscimus (H. Gressmann, ATAT² 71—77). Quamquam vestigia cultus Aegyptii in Phoenice diu permanserunt atque etiam circa annum a. Ch. n. 400 incolae Bybli deam urbis suae imagine deae Hathôr effinxerunt.

---

* Quae papyrus, anno 1855 inventa atque anno 1876 Londini a S. Birch in lucem edita (Facsimile of an egyptian hieratic papyrus of the reign of Ramses III), maxima est omnium, quae ad nostram aetatem pervenerunt (139 m longa). Ea Pharaoni Ramses III, secundo regi vicesimae domus regnatricis, in sepulcro posita est atque orationem continet Pharaoni mortuo attributam, qua merita sua in templa deorum enumerat et regnum suum breviter describit.

Pars posterior

Etiamsi Babyloniorum auctoritas apud Cananaeos multo plus valuisset quam demonstrari potest, inde minime efficeretur Israelitas Babyloniorum cultum atque humanitatem Cananaeis intercedentibus recepisse

I

Atque si res profanas respicimus, nonnulla Israelitis cum Babyloniis communia fuisse negari non potest. Immo vero mirum esset, si res aliter se haberet; nam Israelitae quoque orientales et Semitae erant ut Babylonii atque per saecula Babyloniorum auctoritas ad eos pertinebat.

Velut ex mensuris complures viri docti cubitum (Hebr. *'ammâ*, Akk. *ammatu*) a Babylonia, ubi iam in statua quadam Gudea, patesi urbis Lagaš, longitudinem 49.5 cm habet, ad Israelitas pervenisse propterea verisimile esse existimant, quod longitudo multorum laterum terrenorum in Tell Ta'annek et Tell el-Mutesellim effossorum (qui antiquissimorum temporum sunt, cum postea lapidibus caesis aedificaretur) 49 cm est.[1] Ex aliorum autem opinione dubium vix est, quin ipsum vocabulum Hebraicum *'ammâ* originis Aegyptiae sit atque cum Aegyptiorum antiquorum vocabulo *mahe* et Coptorum *mahe* vel *mahi*, cum praefixo *ammahi*, cohaereat, ita ut Israelitae cubitum unâ cum nomine ab Aegyptiis mutuati sint. Atque cum iam antiquissimis temporibus Aegyptiis magnum commercium cum incolis terrae Canaan et Syriae esset, facile fieri potuit, ut hi cubitum ab Aegyptiis mutuarentur.[2] Cum autem, ut Babylonii, ita Israelitae perticâ mensoriâ, quae sex cubita aequabat (Hebr. *ḳâne*, Akk. *ḳanû*), uterentur, prorsus negari vix potest Babylonios in mensuris apud Israelitas aliquid valuisse. Nam Aegyptii solâ orgyiâ quattuor cubitorum, cuius mensuare in vetere testamento mentio non fit, utebantur. — Quod ad pondera attinet, ut apud Babylonios, ita apud Israelitas maximum pondus talentum (Hebr. *kikkâr*, EA 41, 42 *gaggaru*)[3] idque in sexaginta minas (Hebr.

mâne = pars, Akk. *manû*, Aeg. *manô*) divisum invenimus, quae saltem antiquiore tempore rursus in sexaginta siclos (Hebr. *šeḳel* = pondus, Akk. *šiḳlu*) divisae esse videntur; nam liber foederis (Ex 20, 22—23, 33), quem vetustissimum esse vulgo agnoscitur, usitatum pretium servi triginta siclis aestimat (21, 32), quibus quin dimidia pars minae significetur, dubium non est. Numero autem „sexaginta" luculenter demonstratur minam eiusque partes primo apud Babylonios exstitisse, quippe qui systemate sexagesimali (1, $1 \times 60 = 60$, $60 \times 60 = 3600$, $3600 \times 60 = 216000$ etc) uterentur, quod tamen neque apud Israelitas neque apud ceteras gentes unquam solum et unum usurpatum est; nam cum *'êphâ* Israelitarum, decima pars mensurae *ḥomêr*, decem *'ômer* caperet, apud Israelitas systematis quoque decimalis vestigia exstant, quod apud exteras quoque gentes pro systemate sexagesimali Babyloniorum receptum est. — Ut Israelitae, ita etiam Babylonii et diem integrum *(jôm, ûmu)* in duas partes, diem et noctem *(jôm wâlajlâ* 2 Chr 6, 20. *lajlâ wâjôm* 1 Rg 8, 29. *urru u mušu)*[4], et annum in duas partes, quae a vere et ab autumno initium capiebant, dividebant.

Ut iam supra diximus, eae aliaeque similitudines, quae in cultu profano Babyloniorum et Israelitarum inveniuntur, mirae esse non possunt. Explicantur enim partim ex eo, quod utraque gens Semitarum est, partim ex eo, quod gentes, quae eodem tempore in paribus vel similibus condicionibus vivunt, semper eosdem fere processus faciunt, imprimis ex eo, quod Babylonia patria Abraham, auctoris gentis Israeliticae, erat.[5]

[1] H. Vincent, Canaan d'après l'exploration récente 32 s.

[2] G. F. Hill (in *T. K. Cheyne* and *J. S. Black*, Encyclopaedia biblica, col. 5293) cubitum Hebraicum originis Aegyptiae esse contendit. At H. Winckler (KAT, 339) nusquam concedit fieri potuisse, ut Israelitae cubitum ab Aegyptiis mutuarentur, sed tantum cubitum Babyloniorum exemplar Israelitici esse dicit. Conferas etiam W. Nowack, Lehrbuch der hebräischen Archäologie (Freiburg i. Br. — Leipzig 1894) I, 200 s.

[3] Talentum in lingua Akkadica vocabulo *biltu* significari non pro certo demonstratum est.

[4] Akkadicum *lilâtu* opponitur *šêru* „tempori matutino" ideoque „tempus vespertinum", non „noctem" significat.

[5] Secundum sacras litteras Babylonia (rectius Chaldaea) est patria Abraham, auctoris gentis Israeliticae. Gn 11, 28 memoriae proditur Terah, patrem Abraham, in urbe Ur-Kasdim vixisse. Inde cum Abraham filio et Lot nepote in urbem Haran profectum ibique mortuum esse (ib. 11, 31 s.). Ab urbe Haran autem Abraham cum Lot iussu dei in terram Canaan migrasse (ib. 12, 1—5). Quae cum ita sint, Ur-Kasdim

patria Abraham et Israelitarum esse existimanda est. De origine autem maiorum Abraham in libro Genesis nihil traditur, ut ii vel in Babylonia indigenae vel posteri familiarum, quae antea eo immigraverant, esse possint.

At etsi haud paucae similitudines in cultu profano Babyloniorum et Israelitarum inveniuntur, tamen id quoque diserte dicendum est multa et magna discrimina hac in re reperiri. At multi viri docti, qui Israelitarum cultum atque humanitatem prorsus ex Babyloniis pendere contendunt, operam non dederunt, ut eas dissimilitudines cognoscerent. Quas si pariter ac similitudines persequaris, illos errare perspicias.

1) Id imprimis ad *litteras* et *linguam* pertinet; nam Israelitas per saecula Babyloniorum scripturâ et linguâ Akkadicâ usos esse, id quod recentiore aetate nonnulli (inter quos H. Winckler, C. R. Conder, H. Gressmann, E. Naville, M. Kyle, P. Riessler, A. Jeremias, J. Benzinger) contenderunt, demonstrari non potest.

Atque **a)** de scriptura cuneiformi ab Israelitis usurpata haec tenenda sunt: Praeter tabulas fictiles in Tell el-Amarna, Tell Taʿannek, Tell el-Ḥasî effossas, quae eius temporis sunt, quod immigrationem Israelitarum in terram Canaan antecedebat, quinque textus signis cuneiformibus conscripti, qui ad tempus posterius pertinent, in Palaestina inventi sunt: duae tabulae emptionis in Tell Dschezer, pars inscriptionis in Tell Sebaṣṭije, duae inscriptiones prope Nâbulus. Quamquam autem tabulae in Tell Taʿannek et Tell el-Ḥasî effossae documento sunt Cananaeos non solum in commercio principum et civitatum, sed etiam alioquin scripturâ Babyloniâ et linguâ Akkadicâ usos esse, tamen ex ceteris textibus in Palaestina effossis concludi non potest Israelitas antiquioribus temporibus scripturam Babyloniam usurpasse. Nam scripturae cuneiformes in Sebaṣṭije et Dschezer inventae ab Assyriis quoque profectae esse possunt, qui post annum 722 in media Palaestina imperare coeperunt. Pars illa inscriptionis cuneiformis in Sebaṣṭije inventa in infimo muro quodam, qui Babylonio structurae genere aedificatus erat, effossa est, tabulas autem emptionis in Dschezer inventas propterea Assyriorum esse verisimile est, quod ea urbs saeculo septimo praesidium vel coloniam Assyriorum habebat.* Quod utcumque se habet, iis reliquiis itemque tabulis prope Nâbulus effossis non comprobatur Israelitas antiquos etiam tum scripturâ cuneiformi usos esse,

* A. Jeremias (ATLAO[3] 247) dicit tabulis illis in Tell Dschezer inventis hoc unum demonstrari praeter scripturam Hebraicam scripturam quoque cuneiformem et linguam Akkadicam tum in usu fuisse.

si suâ linguâ scribebant, neque dubium est, quin tum suâ quoque scripturâ usi sint, cum studiis nostrae aetatis demonstratum sit Phoenicum litteras, quibus Israelitae quoque antiqui utebantur, multo esse vetustiores, quam ultimis decenniis existimabant.

Neque ex sacris litteris effici potest scripturam cuneiformem ad libros veteris testamenti conscribendos adhibitam esse.

α) Sunt, qui dixerint scripturam ad leges litteris mandandas usurpatam „sanctam" scripturae formam fuisse, quod ius ut apud alias gentes antiquas, ita apud Israelitas ad religionem pertineret, immo vero pars religionis esset. Eam autem „sanctam" scripturae formam scripturam cuneiformem fuisse atque Ex 32, 16 *miktab ʾelôhîm* = scripturam dei appellari.

Ita praeter alios E. Naville, Archéologie de l'ancien testament (Paris 1914) 26 et A. Jirku, Altorientalischer Kommentar zum AT (Leipzig-Erlangen 1923) 143 s.

At neque demonstratum est scripturam ad leges conscribendas adhibitam „sanctam" habitam esse (quae opinio de Israelitis sine dubio falsa est, cum verba „scriptura dei" non ad leges universas conscribendas, sed tantum ad praecepta decalogi conscribenda pertineant), neque verba *miktab ʾelôhîm* quidquam aliud valent nisi „scriptum a deo", id quod ex verbis antecedentibus „tabulae erant opus dei" et ex loco 31, 18 apparet, ubi tabulae testimonii lapideae „scriptae digito dei" esse dicuntur. Quae cum ita sint, illa verba non proprium genus scribendi vel scripturam cuneiformem significant. Neque vero dici potest „scriptum a deo" idem esse quod „scriptum divino scribendi genere"; nam Israelitae non putabant ullum scribendi genus a deo vel inventum vel adhibitum esse. Quare verba „scriptura dei" vel „scriptum a deo" ullum scribendi genus a deo vel inventum vel usurpatum significare non possunt.

β) Neque ex Jes 8, 1, ubi propheta sententiam: „Festinat praeda, properat rapina", qua populares suos moneat, in tabula (fortasse in atrio templi constituenda) *beḥereṭ ʾenôš* = cum stilo hominis conscribere iubetur, colligi potest diversitatem quandam inter scripturam Babyloniam ut sanctam et Hebraicam ut profanam fuisse[1], ut sicut apud Aegyptios[2], ita apud Israelitas duo genera scripturae usitata fuerint; nam si ita fuisset, de sententia divina a propheta populo renuntianda profana scriptura electa esset. Vocabulum enim *ʾenôš* hîc hominem simplicem significat et pro adiectivo „vulgaris" sive „inter homines usitatus" positum est.[3] Verbis igitur *ḥereṭ ʾenôš* ea scriptura significatur,

quam cuiuslibet ordinis homines legere possunt.[4] Quam scripturam magnas neque cohaerentes litterarum formas intellegendas esse verisimillimum est, quas simplices homines et qui pauca scribant, facere solent.[5] Praeterea respiciendum est, si loco allato aliqua diversitas significaretur, quae inter peregrinam et vernaculam scripturam intercederet, aliter dicendum erat, velut: „Scribe beḥereṭ ʿibrî!“ i. e. scripturâ Hebraicâ.[6]

[1] Velut H. Winckler (OLZ, V, 1902, 102) contendit „scripturam hominis“ scripturam litteris expressam, quae plerumque Phoenicia vel Aramaica appelletur, intellegendam esse illaque significatione scripturae cuneiformi opponi. Sin autem „scriptura hominis“ scripturae cuneiformi contraria sit, hanc esse „scripturam dei“. A. Jirku quoque (Altorientalischer Kommentar zur AT 144) „scripturam hominis“ fortasse scripturam Phoeniciam intellegendam esse existimat.

[2] Herod. Hist. 2, 36: διφασίοισι γράμμασι χρέωνται · καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱρά, τὰ δὲ δημοτικὰ καλέεται.

[3] Conferas Dt 3, 11: *ʾamaṯ'iš* = cubitum viri i. e. cubitum vulgare. Apoc 13, 18: ἀριθμὸς ἀνθρώπου, 21, 17: μέτρον ἀνθρώπου.

[4] F. Delitzsch, Biblischer Commentar über den Propheten Jesaia[3] (Leipzig 1879) 124: „Nimm dir eine grosse Tafel und schreibe darauf mit gemeinleserlichen Zügen“. G. B. Gray, A critical and exegetical commentary on the book Isaiah (Edinburgh 1912) 143: „The ordinary alphabet with which every one was familiar.“

[5] A. Condamin, Le livre d'Isaïe (Paris 1905) 52: „Prends une grande tablette et écris dessus en gros caractères.“ Conferas verba Pauli apostoli: „Videte, qualibus litteris (πηλίκοις γράμμασιν) scripsi vobis mea manu!“ (Gal 6, 11).

[6] E. König, Das Buch Jesaia (Gütersloh 1926) 121.

γ Falso quoque recentiore aetate dictum est *Deuteronomium*, quod cum templum a Salomone aedificaretur, in eius lapide primario positum esset, id signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ scriptum fuisse; Mosen eâ scripturâ et linguâ usum esse; quae cum aetate regis Josia iam usitatae non essent, Hilkija summum sacerdotem Deuteronomium in templo renovando anno 621 inventum legere non potuisse; Saphan autem id potuisse, propterea quod ut cancellarius regius linguam Akkadicam signis cuneiformibus conscriptam, qua tum viri rerum publicarum periti uterentur, cognovisset; post inventionem demum illum librum in scripturam et linguam Hebraicam conversum conversumque populo recitatum esse.

Quae est summa eorum, quae E. Naville in libro, qui inscribitur „La découverte de la loi sous le roi Josias“ (Extrait des mémoires de l'académie des inscriptions et belles-lettres XXXVIII, 2. Paris 1910) sibi comprobasse videtur. Conferas etiam eiusdem auctoris commentationem, quae inscripta est „Egyptian writings in foundation walls and the age of the book of Deuteronomy“ (Proceedings of the society of biblical archaeology XXIX, 1907, 232—242).

Ad quae dicenda sunt haec: Liber legis regnante Josia in templo renovando inventus (2 Rg 22, 3—10 = 2 Chr 34, 8—18) quid intellegendum sit, de ea re iam multa scripta sunt. Hîc id unum statuimus summum sacerdotem librum illum legere non potuisse ex 2 Rg 22, 8 nequaquam effici; immo vero ex eius verbis: „Librum legis repperi" contrarium colligendum est, quoniam ex iis intellegimus summum sacerdotem scivisse, quid liber contineret. Quod eum ex loco, ubi liber inventus est, collegisse nullis argumentis solidis demonstrari potest. Ceterum verisimile non est summum sacerdotem Babyloniam scripturam et linguam Akkadicam ignoraturum fuisse, si eae ad leges dei conscribendas adhibitae essent. Verba autem extrema loci allati: „Qui (Saphan) legit illud (volumen)" non cum E. Naville in verba: „Qui recitavit ei (summo sacerdoti) illud" commutanda sunt; immo vero ea verba, quae 2 Chr 34, 15 non leguntur, aliena manu ex v. 10 addita esse existimanda sunt.

Quae cum ita sint, neque librum legis in templo inventum signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ scriptum fuisse neque legem inventam in scripturam et linguam Hebraicam conversam esse, antequam populo recitata sit, dici potest.

δ) Neque in libris veteris testamenti ullum vestigium occurrit, quo quasdam eius partes ex scriptura cuneiformi Babyloniorum postea in scripturam antiquorum Hebraeorum transcriptas esse demonstretur. Nonnulli quidem[1] tale vestigium in cognomine Esrae *sôphêr mâhîr betôrat Môše* (Esr 7, 6) deprehendisse sibi videntur, ea verba sic convertentes: „scriba peritus legis Mosis". At etiamsi vocabulum *sôphêr* hîc scribam significaret, tantum eius modi scriba intellegi posset, qui arte scribendi excelleret vel in ea exercitatus esset (ut Ps 45, 2: „Lingua mea esto stilus scribae prompti!"). Verisimilius autem est illud vocabulum propter additamentum *betôrat Môše* librorum sacrorum peritum significare[2]; nam id additamentum, si *sôphêr* vocabulo „scriba" redditur, non explicatur, quia non intellegitur, cur scriba in sola lege Mosis exercitatus fuerit. Ad hoc conferas Esr 7, 10, ubi de Esra dicitur: „Cor suum paravit, ut legem Jahvae investigaret, ut faceret et doceret in Israel praeceptum et iudicium", et v. 11, ubi Esra vocatur *hassôphêr,* qui verba et praecepta Jahvae eiusque decreta pro Israel scripsit. Illas leges si Esra tantum descripsisset, id non tanti aestimatum neque v. 14 et 25 diserte dictum esset legem Mosaicam „in eius manu" fuisse. Minime vero Esr 7, 6 significatur legem Mosaicam ab Esra ex

scriptura cuneiformi Babyloniorum in aliam scripturam translatam esse. Qui sensus loco allato ne tum quidem inest, si 4 Esr 14, 23—47 comparatur*, ex quo loco Esra legem amissam et sibi rursus revelatam quinque viris dictavit, de quibus v. 42 dicitur: „Scripserunt, quae dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant".[3] Quae verba non ita explicanda sunt, eos quinque viros, quae sibi dictata essent, ea signis non intellectis scripsisse[4], sed: Scripserunt ea, quae (a me) dicebantur, visa nocturna, quae non intellegebant.[5] Itaque non eo quidem loco de lege transcripta agitur.

[1] Velut P. Riessler in ThQ, XCIII, 1911, 496.

[2] J. Buxtorf, Tiberias (Basileae 1620) c. 10. p. 99: „Scribam appellant non tam a scribendo, quam ab enarrandis et explicandis iis, quae in scripturis sacris comprehenduntur. Nam *sêpher* liber, *sôphêr* librarius, librorum peritus, interpres et doctor, scriba. A nullo autem libro maius nomen lausque maior erat, quam a libro legis dei; unde *sôphêr* vocabatur legis peritus, qui librum legis dei docebat et interpretabatur." Conferas eiusdem auctoris Lexicon chaldaicum, talmudicum et rabbinicum (ed. *B. Fischer,* Lipsiae 1875) 768.

Secundum A. Šanda (Moses und der Pentateuch 201) nomen honorificum *sôphêr* initio ad munus significandum usurpabatur (= γραμματεύς) et aut vocabulum externum (a vocabulo Akkadico *šapiru* ducendum) aut deminutivum vocabuli *sêpher* (liber) habendum est; neque ut participium, quod idem significat atque γράφων *(kotêb)* vel γράψας, cum genetivo obiectivo scripti conficiendi coniungi potest. Verba igitur *sôphêr dibrê mišwôt jahve* (Esr 7, 11) et *sâphar dâtâ di'elâh* (v. 12. 21) non „qui verba praeceptorum Jahvae (legem dei) scripsit" significare possunt, quod ita post vocabulum *sôphêr* vocabulum *kotêb* positum esse oportet, sed *sôphêr* locis allatis legis doctorem significat. Ita id redactor quoque libri Esrae intellexit, qui 7, 6 Esram *sôphêr mâhîr betôrat Môše* appellat i. e. doctorem in lege Mosis peritum.**

Ceterum Esra nequaquam primus „librorum sacrorum peritus" *(sôphêr)* fuit. Nam praeter eum Neh 13, 13 Sadok „librorum sacrorum peritus" *(has-sôphêr)* et Esr 8, 16 Jojarib et Elnatan „magistri" *(mebinîm)* commemorantur (cf. 1 Chr 27, 32).

[3] Ita Vulgata. Conferas O. F. Fritzsche, Libri apocryphi veteris testamenti: Libri veteris testamenti pseudepigraphi selecti (Lipsiae 1871) 639.

[4] H. Gunkel in *E. Kautzsch,* Die Apokryphen und Pseudepigraphen des AT II (Tübingen 1900) 400s: „Der Höchste aber gab den fünf Männern Einsicht; so schrieben sie der Reihe nach das Diktierte in Zeichen auf, die sie nicht verstanden" d. h.

---

* Neque quo tempore quartus liber Esrae scriptus sit, neque quis eum scripserit, inter viros eruditos constat. Alii librum primo a. Ch. n. saeculo, alii primo p. Ch. n. saeculo scriptum esse arbitrantur. Alii Judaeum Palaestinensem, alii Judaeum Alexandrinum, alii Christianum auctorem fuisse existimant.

** J. Meinhold (41. BZAW [Giessen 1925] 197—206) frustra demonstrare studet Esram „scriptorem" i. e. auctorem legis Mosaicae, non tantum „doctorem legis" appellatum esse.

in einer neuen (der gegenwärtigen hebräischen) Schrift. R. H. Charles, The Apocrypha and Pseudepigrapha of the OT in English II (Oxford 1913) 623: „And the Most High gave understanding unto the five men, and they wrote what was dictated in order, in characters which they knew not", i. e. in a new Hebrew script, the square or „Assyrian" character used in our printed Hebrew Bibles. Ezra was traditionally regarded as the inventor of this form of Hebrew writing." P. Riessler, Altjüdisches Schrifttum außerhalb der Bibel (Augsburg 1928) 309: „Der Höchste aber schenkte Einsicht den fünf Männern. Sie schrieben das Diktierte in der Reihe auf in Zeichen, die sie nicht verstanden."

[5] O. Zöckler, Die Apokryphen des AT nebst einem Anhang über die Pseudepigraphenliteratur (München 1891) 472: „Der Höchste gab den fünf Männern Verstand und sie schrieben auf die Nachtgesichte, die ihnen gesagt wurden, die sie nicht verstanden."

Imprimis in libro Genesis clara vestigia inveniri dictum est, unde eum initio signis cuneiformibus et linguâ Akkadica conscriptum fuisse, sed cum in Hebraeorum linguam converteretur eorumque in litteras transcriberetur, haud recte intellectum esse appareat.[1] Velut Gn 2, 5 verba *zanânu* = exornare et *zanânu* = pluere; 2, 17 et 3, 5. 22 vocabula *banû* = gignere et *banû* = pulcher, egregius, bonus inter se confusa esse; 3, 21 Akkadicum *ûru* = nuditas Hebraico *ʿôr* = pellis aequatum esse; 4, 7 *alâlu* = exsultare, laetari et *alâlu* = tollere, *ina pitti* = repente et *ina piti* = ad fores, *ḫaitu* = veniens et *ḫetu* = peccatum, *šallu* = captus et *šâllu* = regnans; 4, 15 *ittu* = adiutor et *ittu* = signum; 4, 20 *rîtu* = salix et *reʾîtu* = grex inter se confusa esse; 6, 2 vocabula *marê bâni* = principes, nobiles perperam filios creatoris i. e. dei et vocabula *marâti ša ameluti* = ancillae, servae perperam filias hominum intellecta esse; 9, 20 verba *irriš* = agrum coluit et *irrišu* = agricola inter se confusa esse etc. At eam opinionem nequaquam iustis argumentis inniti iis aliisque locis, qui ad eam probandam allati sunt, diligentissime excussis demonstratum est.[2] Atque librum Genesis linguâ Hebraicâ scriptum esse e loco 31, 47 perspicimus, ubi monumentum foederis a Jacob (et Laban, cf. v. 51) erectum a Laban verbis Aramaicis *jegar sâhadûthâ* = acervus lapidum testimonii appellatur, cum Jacob idem verbis Hebraicis *galʿêd* vocet (v. 48), quod nomen non idem atque *jegar sâhadûthâ* valet, sed „acervus lapidum est testis" significat.

[1] Ita imprimis P. Riessler in ThQ, XCIII, 1911, 493—504. Exempla ab eo allata ingeniosius quam verius excogitata sunt, et si probata essent, totus fere veteris testamenti textus dubitatione aestuaret. Ceterum P. Riessler in Germanica veteris testamenti conversione (Mainz 1924), in qua communem sequitur interpretationem, se ipse emendavit et correxit. — Etiam E. Naville (Archéologie de l'ancien testa-

ment 13) in Gn c. 1—11 e quibusdam vocabulis e lingua Akkadica receptis originem Babyloniam eorum capitum cognosci dicit neque id demonstravit.

[2] E. König in NkZ, XXIV, 1913, 102—118. Die Genesis[3] (Gütersloh 1925) 12—14.

Neque tamen dubium esse dicitur, quin caput quartum decimum libri Genesis, quod aetatis Abraham est, initio signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ scriptum fuerit[1], postea autem in linguam Hebraicam translatum sit idque paulo antequam Israelitae in terram Canaan immigraverint, i. e. aetate Mosis, propterea quod postea in terra Canaan scribae et linguae Akkadicae et scripturae cuneiformis periti fuisse vix videantur. Usque ad annum a. Ch. n. 1200 scripturam Semiticam in terra Canaan in usu non fuisse; quodsi narratio belli a quattuor regibus terrae orientalis cum quinque regibus terrae Canaan gesti litteris mandata sit, id scripturâ cuneiformi fieri necesse fuisse, quae etiam multo post aetatem Amarna (circiter 1400 a. Ch. n.) in terra Canaan usitata fuerit. Scriptorem autem non-Israelitam illam narrationem signis cuneiformibus conscripsisse inde apparere, quod Abraham v. 13 „Hebraeus" nominetur, quoniam non-Israelitae hoc nomine Israelitas appellare soliti sint. Ad hoc illam narrationem nonnullas loquendi proprietates continere, unde colligi possit eam primo signis cuneiformibus et linguâ Akkadicâ confectam esse: ut vocabulum *ḥanîkâw* (= probatos suos), quo v. 14 Abraham patriarchae servi probatae fidei et virtutis appellentur, vocabulo Akkadico *ḫannaku* respondere; verbum *wjdḳ*, quod v. 14 pro *wjrḳ* legendum sit, ab Akkadico *diḳû* (= vocare milites ad bellum) ducendum esse; verba quoque *wajjêhâlêḳ ʿalêhem* (v. 15) et *rekûš* (v. 11 s. 16. 21) ad linguam Akkadicam referenda esse. Pro verbis v. 17 *ʿêmeḳ šâwê* initio verba *ʿêmeḳ šârê* scripta fuisse posse, quoniam litterae *Wâw* et *Rêš* crebro inter se permutentur. Quod si ita sit, in vocabulo *šârê* vocabulum Akkadicum *šarru* (= rex) inveniri. Conferas explicationem additam: „vallis regis". Et quod v. 18 pro nomine Urusalim nomen Salem inveniatur, id ita explicari videri, ut in textu cuneiformi *Uru-sa-lim* scriptum fuerit, is autem, qui conversionem Hebraicum fecerit, vocabulum *uru* pro determinativo non pronuntiando habuerit, nisi forte tum nomen Jerusalem in Salem contractum sit. Si autem Gn c. 14 initio signis cuneiformibus scriptum fuerit, ne id quidem negari posse tum, cum id caput formam Hebraicam nostri textus acceperit, nonnulla addita esse.[2]

[1] Ita praeter alios E. Sellin, Melchisedech. Ein Beitrag zur Geschichte Abrahams (NkZ, XVI, 1905, 929—950).

[2] Ceterum videas F. Hommel, Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung (München 1897) 153. 192—202. J. Meinhold, 1 Mose 14 (22. BZAW) Giessen 1911.

ε) Illud quoque respiciendum est in sacris litteris multa quidem de mutatis nominibus dei (Ex 6, 2 s; 1 Sm 1, 3; 2 Sm 6, 2; Jes 1, 4; Hos 2, 18), hominum (Gn 17, 5; 32, 28; 1 Sm 9, 9), locorum (Gn 14, 2 b. 3 b. 8 a; 23, 2 a; 28, 19; 35, 6. 27; Jos 14, 15 a; 15, 13 b. 49. 54 a; 20, 7 b; 21, 11 a; Jdc 1, 10 s. 23. 26; 18, 29; 19, 10 = 1 Chr 11, 4), mensium (Babylonia mensium nomina nisi in iis libris, qui post exsilium scripti sunt, non inveniuntur) deque mutatis moribus et consuetudinibus (Rth 4, 7) dicta esse, sed nusquam de mutata scriptura (et lingua) sermonem esse. Etiam 2 Rg 23, 4—14, quamquam multa a rege Josia in regno Juda novata commemorantur, tamen de scriptura (aut lingua) mutata nihil cognoscimus. Verum illud quidem est antiquissima litterarum monumenta scripturâ antiquorum Hebraeorum confecta noni demum a. Ch. n. saeculi esse; sed fieri potest, ut procedente tempore antiquiora quoque effodiantur. Neque scriptura Phoenicia ante Salomonem Israelitis ignota fuit, quia iam pridem Cananaeis in ora maritima habitantibus cum nonnullis partibus gentis Israeliticae commercium erat (Gn 49, 13; Jdc 5, 17) et Hiram, rex Tyriorum, David per totam eius vitam amico utebatur (1 Rg 5, 15. Vulg. 5, 1). Atque antiquos Israelitas signis cuneiformibus (et linguâ Akkadicâ) usos esse etiam ob id ipsum verisimile non est, quod scriptum illis signis (illâque linguâ) ab homine Israelita confectum inventum non est. Quodsi pars librorum divinorum Babyloniâ scripturâ (et linguâ Akkadicâ) confecta fuisset, fieri non posset, quin eorum translatio in Hebraicam scripturam (et linguam) commemoraretur. Talmudistae quidem alius transcriptionis legis mentionem faciunt. Nam *bab. Sanhedrin 21 b* memoriae produnt initio legem genti Israeliticae Hebraicis litteris datam esse; iis scriptam postea legem Samaritanis traditam esse. Unde elucet, quid illae litterae Hebraicae intellegendae sint. Constat enim litteras Samaritanas litteris antiquorum Hebraeorum (Phoenicum) pares esse, quas, ut exemplum afferam, in lapide regis Meša invenimus. Iidem talmudistae adiciunt aetate Esrae legem aliis litteris conscriptam esse, i. e. *ketâb ʾaššûrît* = scripturâ Assyriâ, quibus verbis (id quod infra explicabimus) scriptura Aramaica significatur. Cui talmudistarum narrationi illud verum subesse putandum est, quod Esra illum litterarum ductum, qui eius aetate in Babylonia usitatus erat atque

iam ad quadratam formam inclinare coeperat, in Palaestinam attulerit et ad libros sacros transcribendos adhibuerit. Quae cum ita sint, etiam traditio Judaeorum clare testatur legem primo litteris Hebraicis scriptam esse neque in ea ullum vestigium legis ex scriptura cuneiformi Babyloniorum transcriptae reperitur.

Pro opinione igitur eorum, qui Israelitas scripturâ cuneiformi ad leges vel res gestas conscribendas usos esse dicunt, nihil explorati proferri potest, nonnulla vero ei prorsus repugnant.

Nihilo minus H. Winckler (Vorderasien im zweiten Jahrtausend auf Grund archivalischer Studien [MVAG, XVIII, 4] Leipzig 1913) prophetas Jesaia et Jeremia scripturae cuneiformi haud aliter studuisse atque clericum aetatis mediae linguae Latinae contendit.

b) De lingua autem ab Israelitis adhibita α) id imprimis respiciendum est Abrahamidas in terram Canaan immigrantes non linguâ Akkadicâ, sed propriâ, quae linguae Cananaeorum-Phoenicum simillima est, locutos esse.*

Ad linguam Hebraicam linguam Cananaeorum-Phoenicum omnium linguarum Semiticarum proxime accessisse ex nominibus propriis Phoeniciis, ex inscriptionibus antiquis (e quibus imprimis inscriptiones nummorum; inscriptio arcae regis Ešmunazar anno 1855 prope urbem Ṣaida inventa [H. Gressmann, ATAT² 446 s.]; duae tabulae, quarum una anno 1854 Massiliae, altera anno 1858 Carthagine effossa est [ib. 448 s. 449 s.], memoratu dignae sunt), ex singulis vocabulis apud scriptores Graecos et Romanos occasione data allatis, ex sententiis, quas Hanno Carthaginiensis apud Plautum (in comoedia, quae „Poenulus“ inscribitur, 5, 1—3) pronuntiat, apparet. Id iam patres ecclesiae cognoverunt, velut Augustinus (C. litter. Petiliani 2, 104. MSL 43, 341: „Hunc Hebraei dicunt messiam, quod verbum Punicae linguae consonum est, sicut et alia Hebraea permulta et paene omnia.“ Conferas Quaest. in Heptateuch 7, 16. In Joan. tr. 16, 27. Serm 113, 2. ib. 34, 797; 35, 1520; 38, 648) et Hieronymus (Quaest. Hebr. in Gen. 36, 24. Comm. in Is 7, 14. in Jer 25, 21. MSL 23, 994; 24, 108. 837). Ceterum B. Stade in commentatione „Erneute Prüfung des zwischen dem Phönizischen und Hebräischen bestehenden Verwandtschaftsgrades“ (in libro, qui inscribitur: „Morgenländische Forschungen, H. L. Fleischer gewidmet“, Leipzig, 1875, p. 167—232) diligenter circumscripsit, quam late similitudo linguarum Hebraeorum et Phoenicum pateat. Inscriptiones autem Phoenicum et Poenorum, quae ad memoriam nostram pervenerunt, cum quarto a. Ch. n. saeculo antiquiores non sint, ab antiqua lingua Hebraica, quam in veteris testamenti libris invenimus, aliquantulum differre mirum non est.

---

* Ex nonnullorum opinione Abraham, cum e Mesopotamia (Haran), ubi lingua Aramaica vernacula erat, in Palaestinam immigrasset, a Cananaeis, inter quos domicilium collocavit, linguam Hebraicam recepisse posterisque tradidisse dicendus est (cf. Gn 31, 47).

Linguam autem Cananaeorum iam ante immigrationem Israelitarum eandem fere fuisse atque Hebraicam primum multis nominibus locorum, quae Israelitae in terra Canaan deprehenderunt, demonstratur; deinde nominibus regionum caeli *jâm* = plaga occidentalis (proprie mare) et *negeb* = plaga meridiana, Palaestina, qua in meridiem spectat (proprie regio deserta); denique loco Jes 19, 18, ubi lingua Hebraica simpliciter *sephat Kena'an* (lingua Canaan) appellatur. Idem ex tabulis Amarna apparet. Nam si, ut exempla afferam, 141, 4 et 143, 11 vocabulum Akkadicum *ipira* (= pulvis) vocabulo *aparu (a-pa-ru)* sive *ḫaparu (ḫa-pa-ru)*; 263, 12 Akk. *ṣênu* (= oves) vocabulo *zûnu (zu-ú-nu)*; 263, 25 Akk. *sîsû* (= equus) vocabulo *sûsu (su-ú-su)*; 244, 16 Akk. *abulli* (= porta) vocabulo *šaḫri (ša-aḫ-ri)*; 287, 27 Akk. *ḳat* (= bracchium) vocabulo *zuruḫ (zu-ru-uḫ)*; 74, 46; 79, 36; 81, 35; 105, 9; 116, 18 Akk. *ḫuḫari* (= rete aviarium) vocabulo *kilûbi (ki-lu-bi)*; 288, 52 Akk. *ḫalḳat* (= periit) vocabulo *abadat (a-ba-da-at)* explicatur, manifestum est vocabula Hebraica *'âphâr, ṣô'n, śûś, ša'ar, zerôa', kelûb, 'âbad* iam linguae antiquorum Cananaeorum fuisse. Hanc tamen non plane eandem fuisse atque Hebraicam item ex „glossis Canaanaeis", quae in epistulis Amarna exstant, elucet. Velut 232, 11 vocabulum Akkadicum *ṣiruma* (= tergum) vocabulo *zuḫruma* explicatur, quod in Arabum lingua quidem eâdem vi (sed aliis vocalibus) invenitur, in Hebraeorum omnino non invenitur.

Videas P. Dhorme, La langue de Canaan (RB, N. S. X, 1913, 369—393; XI, 1914, 37—59. 344—372).

Neque in iis, quae in libris sacris de commercio Israelitarum et Cananaeorum memoriae produntur (velut Jos c. 9, ubi narratur Gibeonitas per dolum pacem iureiurando confirmatam a Josua impetravisse), ullum vestigium reperitur, unde appareat eos interpretibus indiguisse. Postea quoque, cum Israelitae Cananaeis devictis per longum tempus unâ cum iis terram Canaan habitarent, nunquam discrepantis linguae mentio fit. Certe linguam Hebraicam eo tempore, quo carmen Debora (Jdc 5, 2—31) ortum est, fuisse necesse est; nam id carmen etiam acerrimi critici aetati iudicum attribuunt. Atque ut paucis dicam, ex omnibus, quae accepimus, constat Israelitas semper tali lingua usos esse, quae linguae Cananaeorum-Phoenicum cognata erat, neque usquam ullum vestigium linguae mutatae deprehenditur.

Quae cum ita sint, F. Hommel (Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung IX. 120. 228. 275—277 et ExpT, IX, 1897/98, 225 a; XII, 1900/01, 96 b) falso existimat Israelitas usque ad immigrationem in terram Canaan linguâ et scripturâ Arabicâ usos esse, postea demum paulatim linguam et scripturam Canaanaeam (Hebraicam) recepisse. Id e formatione nominum propriorum, quae usque ad terram Canaan expugnatam tota fere Arabica sit, apparere. Atque cum quaelibet gens tum demum linguam alterius gentis recipiat, cum in eius finibus sedem stabilem collocaverit, maior numerus nominum cum vocabulis Canaanaeis compositorum non prius inveniri, quam Israelitae in terram Canaan immigraverint ibique consederint. Ad hoc Israelitas non modo in terra Gosen commorantes, sed etiam per desertum

peregrinantes cum incolis Arabiae magnum commercium habuisse. Quare legem quoque genti Israeliticae in deserto commoranti linguâ Arabicâ revelatam, totum igitur Pentateuchum primo linguâ et scripturâ Arabicâ confectum, postea demum in linguam et scripturam Canaanaeam (Hebraicam) translatam esse. De prima lingua Pentateuchi imprimis verba Arabica *man-hu* „quid (proprie quis) est hoc?“ (Ex 16, 15) pro Hebraicis *mi-hu* (cf. Gn 27, 33) respicienda esse. In libro quoque „Ethnographie und Geographie des Alten Orients“ (München 1926) 175 F. Hommel Israelitas aetate iudicum novam accepisse linguam, quae priori eorum cognata fuerit, contendit. Priorem Israelitarum linguam dialectum Arabicam et linguae Minaeorum cognatam fuisse. Cuius prioris linguae vestigia in textu Hebraico veteris testamenti, imprimis in legibus ad cultum pertinentibus (in codice sacerdotali), multa servata esse et partes veteris testamenti priore lingua conscriptas, cum in linguam Hebraicam transferrentur, aliqua ex parte mutatas quoque esse.

Contra eam opinionem, quam S. Landersdorfer quoque (Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] [BZF, III, 5—6] 35—37. Münster i. W. 1920) probabilem esse putat, scripsit E. König, Hebräisch und Semitisch. Prolegomena und Grundlinien einer Geschichte der semitischen Sprachen (Berlin 1901) 79—95.

β) Linguam autem Hebraicam (Canaanaeam) ab Akkadica prorsus diversam fuisse ex Jes 28, 11 et 33, 19 (cf. etiam Jes 36, 11 = 2 Rg 18, 26) cognoscimus, unde apparet linguam Akkadicam, quamvis ad familiam Semiticam pertineat et multa verba cum lingua Hebraica communia habeat, ab incolis regni Juda aetate prophetae Jesaia intellectam non esse.

Quod attinet ad similitudinem linguarum Hebraicae (Canaanaeae) et Akkadicae, non solum multa vocabula in iis pariter sonant idemque valent (velut *bârâ* = Akk. *barû* = esurire et comedere; *bârâ* = Akk. *barû* = videre), sed etiam locutiones ita usurpantur, ut eandem vim habeant (velut *'akal ḳarṣê p'* = Akk. *akâlu ḳarṣi* [EA 286, 6] = partes alicuius comedere i. e. de fama alicuius detrahere). Id inde explicatur, quod et Babylonii-Assyrii et Israelitae gentes Semiticae sunt. Linguam autem Akkadicam, quamvis quodam modo Hebraicae similis sit, tamen tanto discrimine in verbis formisque grammaticalibus ab ea differre, ut Judaeis lingua peregrina fuerit, ex Jes 28, 11 apparet, ubi propheta hostes Assyrios in Judaeam irruptionem facturos *la'agê sâphâ* = balbutientes labiis i. e. barbare loquentes vocat, quia ii, qui peregrinâ linguâ loquuntur, hominibus eam ignorantibus balbutire videntur. Apparet igitur Judaeos temporibus prophetae linguae Akkadicae ignaros fuisse. Et quod Jesaia 33, 19 Judaeis minatur Assyrios hostilem in modum adventaturos eosque ita describit, ut sint „populus profundi labii ab audiendo“ (i. e. barbarâ linguâ utens, quae obscurior

est quam ut intellegatur), „populus linguae peregrinae, quam non intellegis“, constat linguam Akkadicam Judaeis linguam peregrinam fuisse. Conferas Dt 28, 49: „Adducet contra te Jahve gentem remotam ab extremis terrae finibus . . ., cuius linguam tu non capies“, et Jer 5, 15: „En! ego adduco contra vos populum e longinquo . . ., populum, cuius linguam non intelleges“, quibus locis alia lingua intellegi vix potest nisi Akkadica. Idem ex Jes 36, 11 (= 2 Rg 18, 26) efficitur, ubi memoriae proditur Hizkija regnante (anno 701) legatos Judaeorum (Eljaḳîm, Sebna, Joaḥ) a Rabsaḳe, duce militum regis Sanherib petivisse, ne *jehûdît,* (Judaice),[1] sed *ʾarâmît* (Aramaice) secum loqueretur, ne populus Judaicus intellegeret, quae sermonibus agitarentur.[2] Si igitur Judaei linguam Aramaicam non intellegebant, multo minus Akkadicam. Sunt quidem, qui iudicent, etsi loco allato linguae Aramaicae mentio fiat, tamen Akkadicam quoque linguam eodem nomine intellegi posse[3], quod multi Aramaei iam pridem in Babylonia et Assyria habitaverint et scriptura Aramaica a talmudistis (bab. Sanhedrin 21 b) *ketâb ʾaššûrît* = scriptura Assyria appelletur. At respiciendum est „Assyriam“ et „Assyrios“ omnibus locis libri prophetae Jesaia vocabulo *ʾAššûr* significari (ut 7, 20; 19, 23; 23, 13; 30, 31; 31, 8; 36, 1 s. 4. 8. 13. 15) et vocabulum *ʾArâm,* ubi simpliciter ponitur, semper Syriam occidentalem sive proprie dictam (Jdc 3, 10; 1 Rg 10, 29; 11, 25; 15, 18; 2 Rg 5, 1 s.) et imprimis Damascenam (Jes 7, 1 s. 8; Am 1, 5) valere, ut loco Jes 36, 11 quoque ita intellegendum esse videatur. Posterioribus autem saeculis cum vocabulum *ʾAššûr* etiam ad regna Babyloniorum (2 Rg 23, 29; Jer 2, 18; Thrn 5, 6) et Persarum (Esr 6, 22, ubi Darius „rex Assur“ vocatur) significanda usurparetur, etiam scriptura in novo regno Syrorum usitata *ʾaššûrî* appellari potuit. Neque vero inde efficitur priore illo tempore „Aramaice“ (Jes 36, 11) pro „Assyriace“ dictum esse.

Itaque ex locis allatis clare apparet octavo saeculo linguam Akkadicam Israelitis ignotam fuisse. Neque demonstrari potest saeculis prioribus ad linguam Hebraicam pertinuisse, nisi forte vocabula *ḥânîk* (Gn 14, 14. a radice *ḥânak*) et *ḥannaku* (tab. Taʿannek 6, 8) inter se cohaerere existimantur[4]. Ex septimo demum saeculo i. e. ex eo tempore, quo inter Babylonios et Israelitas perpetuum commercium intercessit, auctoritas Babyloniorum in lingua Hebraica aliquid valere coepit.[5]

[1] Lingua regni Juda anno 701, cum regnum Israel iam viginti annos exstare desisset, iure „Judaica“ nominari poterat. Quae appellatio etiam iam ante regnum

Israel exstinctum in usu fuisse poterat; nam minime negandum est, ut in omnibus linguis, ita in lingua Hebraica varias dialectos fuisse, cum progrediente tempore unaquaeque lingua in aliis regionibus aliter commutari soleat. Atque primum vestigium differentiae dialecticae Jdc 12, 6 habemus: Ephraimitae enim *Sâmek* pro *Šin* pronuntiabant. Alia vestigia diversarum dialectorum sunt forma vocabuli *sâdai* praeter *sâde*, nomen loci *Dôtân* praeter *Dôtâin*, exitus pluralis *în* praeter *îm*, pronomen relativum *še* praeter *'ašer*. Imprimis inter linguas incolarum Palaestinae septentrionalis et Palaestinae meridianae aliquantum intererat: Galilaeorum lingua erat impolita et rudis, gutturales non distinguens, voces diversas inconcinne coniungens, vocibus in Judaea non usitatis utens. Etiam Christi aetate Galilaeorum dialectum ab Hierosolymitana diversam fuisse ex Mt 26, 73 (Mc 14, 70) certum est. Conferas J. Buxtorf, Lexicon chaldaicum, talmudicum et rabbinicum (ed. *B. Fischer*) 224 s. 1198. H. L. Strack und P. Billerbeck, Das Evangelium nach Matthäus erläutert aus Talmud und Midrasch (München 1922) 156 s.

[2] Linguâ Aramaicâ iam tum Assyrii, quotiens iis commercium cum gentibus a Tigride occidentem versus habitantibus erat, usi esse videntur; quare Judaei quoque eruditi eam intellegebant. Talmudistae (Megilla 3 a. Nedarim 37 b) Judaeos aetate exsilii usum linguae Hebraicae prorsus reliquisse memoriae produnt, quos grammatici Judaici et nonnulli theologi Christiani sequuntur. Quod si recte se haberet, verba „Judaice loqui" (Neh 13, 54) de lingua Aramaica intellegenda sunt, id quod fieri non potest.

[3] Velut F. E. Peiser (OLZ, V, 1902, 41—44) arbitratur loco allato *'arâmît* pro *'aššûrît* positum esse. Ut reges Assyriorum *aba aramai* (et *aba muṣurai*) habebant, ita principes Asiae anterioris (ut Hizkija) *aba aššurai* habuisse. Certe existimandum esse aetate regis Hizkija Hierosolymis complures viros linguae Akkadicae peritos fuisse.

[4] F. Hrozný, apud *E. Sellin*, Eine Nachlese auf dem Tell Ta'annek 37 s. — P. Jensen in KB, III, 1, 206 s. ad vocabulum *ḫannaku* adnotat: „Wohl Bezeichnung eines Beamten; schwerlich von *ḫânak*, da dessen Chêth = *ḥ*."

[5] Quaestionem, quaenam ratio linguae Hebraicae cum lingua Akkadica intercedat, excutit E. König, Hebräisch und Semitisch 70—78 atque alio loco („Altorientalische Weltanschauung" und AT 67 [Im Kampfe um das AT 4] Gr. Lichterfelde-Berlin 1905) in ea re imprimis vocabulum illud *'aštê* affert, quod cum Akkadico *ištên* (= 1) consentit neque in lingua Hebraica nisi cum numero 10 coniunctum usurpatur. Numerus 11 in lingua Hebraica, si res generis masculini sunt, verbis *'aḥad 'âsâr* vel *'aštê 'âsâr*, sin generis feminini, verbis *'aḥath 'esrê* vel *'aštê 'esrê* significatur; apud Babylonios pro eo numero *ištên-ešrit* usurpantur*. *'Aḥad 'âsâr* autem invenitur Gn 32, 23; 37, 9; Dt 1, 2., *'aštê 'âsâr* Nm 7, 72; 29, 20; Dt 1, 3; Sach 1, 7; 1 Chr 12, 13; 24, 12; 25, 18; 27, 14., *'aḥath 'esrê* Jos 15, 51; 1 Rg 6, 38; 2 Rg 9, 29; 23, 36; 24, 18; Jer 52, 1; Ez 30, 20; 31, 1; 2 Chr 36, 5. 11., *'aštê 'esrê* Ex 26,

* Vocabuli Hebraici *'aštê* in inscriptionibus cuneatis formae *iš-ten-eš-rit*, *eš-ten eš-ri-tum*, *iš-ten eš-ri-e-ti* inveniuntur (Frd. Delitzsch, Assyrische Grammatik[2] 211. Berlin 1906) ut *'aštê 'âsâr* sicut Sanscriticum *êkâdaçan*, Graecum ἕνδεκα, Latinum *undecim* compositum sit.

7 s. = 36, 14 s; 2 Rg 25, 2; Jer 1, 3; 39, 2; 52, 5; Ez 26, 1; 40, 49. Unde apparet formas numeri 11 cum Akkadico *'aštê* compositas nisi apud prophetas Jeremia et Ezechiel atque in libris vel in exsilio (2 Rg 25, 2) vel post exsilium (Sach 1, 7; 1 Chr 12, 13; 24, 12; 25, 18; 27, 14) conscriptis non legi; ceteri autem loci, ubi Akkadicum *'aštê* invenitur (Ex 26, 7 s. = 36, 14 s; Nm 7, 72; 29, 20; Dt 1, 3), ab E. König unâ cum aliis viris doctis recentioris aetatis posteriorum temporum esse dicuntur. — Deinde complura verba ex Babylonia recepta, quae in libro Ezechielis exstant, respicienda sunt, quorum numerus etsi non tantus est, quantum esse saepe dictum est, tamen complura haud dubie originis Babyloniae sunt, velut *'agappîm* (Akk. *agappu*) = alae exercitus, copiae (12, 14; 17, 21; 38, 6. 9. 22; 39, 4), *'êlâm* (Akk. *êlamu*) = pars antica, pronaos (40. 7—9. 15. 39 s. 48 s; 41, 25 s: 44, 3; 46, 2. 8; plur. *'élammôth* 40, 16. 21 s. 24 s. 29—31. 33 s. 36; 41, 15), *nâdân* (Akk. *nudunnû* a verbo *nadânu* = dare) = donum largum, donum meretricium (16, 33). De aliis vocabulis libri Ezechielis ex Babylonia receptis, quae Frd. Delitzsch apud *S. Baer*, Liber Ezechielis. Lipsiae 1884) affert (*'ibeḫâ* 21, 20. *'aḥ* 6, 11; 18, 10; 21, 20. *hôṣen* 23, 24. *miše'i* 16, 4. *neḫôšeth* 16, 36. *taḫaš* 16, 10) videas E. König, Hebräisches und aramäisches Wörterbuch zum AT² (Leipzig 1922) s. v.

γ) Ceterum diversitas linguarum Hebraicae et Akkadicae nostra aetate duabus illis linguis diligenter comparatis accurate descripta est. Illud quidem negari non potest studium linguae Akkadicae ad haud pauca vocabula adhuc obscura linguae Hebraicae illustranda multum contulisse. Ut cum verbo Hebraico *'ârar* = exsecrari Akkadicum *arâru* comparandum est; cum vocabulo Hebraico *bâmôth* = loca excelsa Akkadicum *bamâti*, quamquam hoc non ut illud ad loca cultui divino destinata significanda usurpatum est. Vocabulum Hebraicum *derôr* missionem, manumissionem (servorum) valere Akkadico *durâru* = libertas confirmatum est. Vocabulum Hebraicum *ḥabaṣṣeleth* non rosam, sed cholchicum autumnale valere lingua Akkadica nos docuit.[1] Vocabula Hebraica *ḥôtên* = socer et *ḥôtenêth* = socrus nonnulli cum verbo Arabico *ḫátana* = circumcidere coniunxerunt, quia antea sponsus brevi ante nuptias circumcidebatur; at verbo Akkadico *ḫatânu* = tueri, tutari demonstratur vocabulis *ḥôtên* et *ḥôtenêth* eos, qui maritum adulescentem in fidem i. e. in familiam recipiunt, significare. Complures quoque loquendi formulae Hebraicae similibus Akkadicis illustrantur, v. c. „pulverem comedere" (Gn 3, 14) loquendi formulâ Akkadicâ: „hostes nostri pulverem comedant" (EA 100). Verba Hebraica *millê' jâd* = implere manum alicuius i. e. sacerdotium in manum alicuius tradere verbis Akkadicis *mullû ḫâtâ* = alicuius manum aliqua re implere i. e. alicui aliquid deferre explicantur. Quae loquendi formula fortasse ab aliquo ritu antiquo orientis repetenda est, quo insignia muneris, quibus illud conferebatur,

tradebantur, quo factum est, ut postea „implere manum“ idem significaret quod „muneris exercendi potestatem conferre“.[2] Sed linguae Akkadicae ad vim vocabulorum Hebraicorum cognoscendam rursus non nimia auctoritas attribuenda est. Quod rectam intellegentiam veteris testamenti etiam minuere nonnullis exemplis ostendatur. Velut Gn 2, 6 vocabulum *'êd* (= vapor terrae, nebula, unde nubes oriuntur)[3] non cum Akkadico *edû* (= fluctus, inundatio) componi potest, quod cum verbis „universa superficies terrae“ non convenit, quoniam loco allato secundum contextum penuria pluviae tollenda est, non de inundatione terrae agitur*. Neque magis vocabulum *sâde* (= campus, ager) cum Akkadico *šadû* (= mons) componi aut dici potest id vocabulum „montem“ quoque significare, quoniam iis locis, ubi id significare dicitur[4], re vera id non significat. Hebraicum *dibber* (Pi'el radicis *dâbar*) „loqui“ valet, Akkadicum *duppuru* (in EA etiam *dubburu*) „depellere“. Hebraicum *zâkar* quoque non idem est quod verba Akkadica *zakâru, sakâru, saḳâru;* nam illud „meminisse, recordari“ valet, haec „nominare, loqui. iurare“ (*zikru* = nomen, vera imago) significant. Neque Hebraicum *šar* (= princeps) idem est quod Akkadicum *šarru* (= rex). Verbum Akkadicum *nabâṭu* idem est quod „splendere, fulgere“, causat. „splendidum facere“; verbum Hebraicum *hibbîṭ* (Hiph'il radicis *nâbaṭ*) „spectare, intueri“ significat. Verbum Hebraicum *kipper* (Pi'el radicis *kâphar*) = expiavit non cum Akkadico *kuppuru* (inf. Pi'el) comparandum est, cuius prima vis non est „tegere, operire“, quae vis verbo Hebraico (item verbo Arabico *kâphara*) attribuenda est, sed „abstergere“ (quod verbum quoque Syrium *kephar* valet).[5] Vocabulum Hebraicum *mîn* „speciem“ (Art), Akkadicum *mînu* autem „numerum“ valet.[6]

[1] Conferas P. Haupt, The book of canticles (The American journal of Semitic languages and litteratures XVIII, 1902, 30). Secundum G. Dalman (41. BZAW, 62—68. Giessen 1925) *ḥabaṣṣeleth* = scilla (Meerzwiebel) et asphodelus (Affodill).

[2] Videas F. Perles in OLZ, VIII, 1905, 125—129. 179—183 (Babylonisch-biblische Glossen), ib. 335—339. 381—385 (Babylonisch-talmudische Glossen), ib. IX. 1906, 227 s. (Nachträge) — Babylonisch-jüdische Glossen. Berlin 1905. — J. Offord quoque (Coincidences of Hebrew and cuneiform literature. PEF, QSt 1914, 140—146) nonnullos locos veteris testamenti collegit, qui ex inscriptionibus cuneiformibus melius perspiciantur.

* A. S. Yahuda (Die Sprache des Pentateuch in ihren Beziehungen zum Aegyptischen I, 149 s. Berlin-Leipzig 1929) *'éd* nihil aliud esse existimat nisi Aegyptium *i'd.t* (fortasse אדת) „rorem“, quem dii de caelo demittere dicuntur. Vocabulum *i'd.t* illud quidem generis feminini, *'éd* generis masculini esse; sed eius modi differentiam generis in vocabulis receptis haud raro inveniri.

[3] Job 36, 27 quoque *'êd* „vaporem, nebulam“ significat. Cum id vocabulum etiam cum Arabico *'ijâdun* (= quod aliquam rem tutatur, perfugium, velum, aër etc) cohaerere possit, J. Theis (Sumerisches im AT 12. Trier 1912) falso negat in linguis Semiticis ullum reperiri vestigium, unde *'êd* nebulam vel vaporem significare appareat.

[4] Jdc 5, 18 (J. Barth, Etymologische Studien zum semitischen, insbesondere zum hebräischen Lexikon 65 s. Leipzig 1893); Nm 23, 14; Dt 32, 13; 2 Sm 1, 21 (ubi *sedêmôth* pro *sedê terûmôth* legendum sit); Jes 56, 9; Jer 17, 3; 18, 14; Ez 21, 2; Ps 50, 11; 80, 14; 96, 12 (J. P. Peters in JBL, XII, 1893, 55 s.). Conferas H. Winckler, Altorientalische Forschungen I. 2, 192 (Leipzig 1894), qui etiam locos Gn 42, 4 (sic pro 32, 4) et Jdc 4, 4 (sic pro 5, 4) affert.

[5] Quod Akkadicum *kapâru* „abstergere“ valet, extra sermonem cultus quoque invenitur, velut KB, VI, 1, 78 79, 20: *dimtaša ikappar* = lacrimas eius absterget. Ceterum videas E. König, Babylonien und die Deutung des AT (Gütersloh 1911) 20—24. The Hebrew word for „atone“ (ExpT, XXII, 1910/11, 232—234).

[6] Frd. Delitzsch (Prolegomena eines neuen hebräisch-aramäischen Wörterbuchs zum AT 143 s. Leipzig 1886) et H. V. Hilprecht (Der neue Fund zur Sintflutgeschichte aus der Tempelbibliothek von Nippur 52 s. Leipzig 1910) contendunt vocabulum *mîn* non speciem, sed numerum valere, quod Akkadicum *mînu* hanc habeat vim. Quibus T. G. Pinches, F. Hommel, alii adstipulati sunt. At si Gn 1, 11 et 12 vocabulo *mîn* vis numeri inest, iudicandum est v. 11 numerum fructuum, quos arbor facere, et v. 12 numerum seminum, quae herba gignere iubetur, praedicari, id quod nequaquam credibile est. Neque Gn 1, 21 dici potest deum animalia creasse „secundum numerum suum“, quoniam v. 22 a deo admonentur, ut multiplicentur. Gn 6, 19 s. Noah bina ex omnibus animalibus i. e. de singulis animalibus singula paria in arcam inducere iubetur, „de volucribus secundum speciem suam“ etc. Quibus verbis si Noah mandari iudicamus, ut „duas volucres iuxta numerum (totum) suum“ in arcam inducat, tantum duae volucres in arca fuerunt, id quod cum Gn 7, 8 s. discrepat, ubi plane dicitur de volucribus „binas“ in arcam ingressas esse (cf. Gn 8, 6—12). Quae cum ita sint, vis vocabuli Hebraici *mîn* ex Akkadico *mînu* sumi non potest. Etiam LXX Hebraicum *mîn* Gn 1, 11 s. 21. 24 s; 6, 20; 7, 14 vocabulo γένος reddiderunt. P. Haupt quoque (Journal of American oriental society 1904, 71) id vocabulum speciem significare contendit. Conferas E. König (Babylonien und die Deutung des AT 24—26), qui demonstrare studet vocabulum quoque Akkadicum *mînu* initio speciem vel genus significasse, postea demum vim numeri inde profectam esse.

Ex iis, quae diximus, apparet monumentis linguae Akkadicae nos ad linguam Hebraicam illustrandam non tantopere adiuvari, quantopere nonnulli viri docti putaverunt. Atque omnino vis vocabuli alicuius Hebraici non semper ex alterius linguae Semiticae usu loquendi repeti potest; nam e multis exemplis apparet vocabula pariter sonantia in aliis linguis Semiticis alia significare, quod haud pauci interpretes, cum vocabula Hebraica secundum significationes, quae homonymis in aliis linguis Semiticis insunt, explicanda esse putent, neglegunt. Velut Hebraicum *'âbâ* = velle, Arabicum *'abâ(j)* et Aethiopicum *'abája* = recu-

sare, nolle; Hebraicum *hâlak* = ire, Arabicum *hálaka* = perire; Hebraicum *mâna'* = retinere, cohibere, Syrium *mená'* = pervenire, venire; Akkadicum *kânu* = stare, firmum vel rectum esse, Arabicum *kâna* = esse; Hebraicum *leḥem* = panis, Arabicum *laḥmun* = caro; Arabicum *málaka* et Aethiopicum *maláka* = possidere, imperare, Hebraicum *mâlak* = regem esse, regnare, Syrium *melák* = consilium dare, decernere; Hebraicum *kômer* = sacerdos idolorum, Syrium *kumrâ* = sacerdos; Hebraicum *râgaš* = tumultuatus est (Arabicum *rádschasa* = barrivit, vehementer tonuit), in lingua Syria = inquietum esse, sentire, intellegere. Atque vis vocabuli Hebraici ne e lingua neo-hebraica quidem semper perspici potest, quoniam vis haud paucorum vocabulorum mutata est. Velut Hebr. *gôlem* = materia rudis et informis, nhbr. = homo rudis; Hebr. *gôj* = populus, nhbr. = homo non Judaeus; Hebr. *gêr* = alienigena, nhbr. = proselytus. Neque e lingua Aramaica vis vocabulorum Hebraicorum nisi cautissime repeti potest.

Frd. Delitzsch (Prolegomena eines neuen hebräisch-aramäischen Wörterbuchs zum AT 13) bene adnotat: Quod crebro accidit, ut duae radices vocabulorum eodem sono inter se minime cognatae sint et prorsus diversa significent . . . aut etsi eiusdem originis sunt, tamen procedente tempore in significationibus multum inter se differant, inde perspicimus, quanto cum periculo vocabula sola comparentur. Ceterum videas totam eius commentationem, quae inscripta est „Das Hebräische im Verhältnis zu den übrigen semitischen Sprachen" (ib. 13—50). — Conferas etiam E. König, Hermeneutik des AT (Bonn 1916) 70—74. Idem auctor in thesauro verborum Hebraicorum et Aramaicorum veteris testamenti a se confecto (2. ed. Leipzig 1922) vocabulis Hebraicis vocabula Arabica, Aethiopica, Akkadica etc, quae iis respondent, litteris Latinis apposuit, ut unusquisque agnoscere posset linguam Hebraicam cum aliis linguis Semiticis cohaerere. Idem opiniones quasdam, quas viri docti recentioris aetatis de ratione, quae linguae Hebraicae cum Akkadica intercedat, prompserunt, falsas esse demonstravit.

δ) Id quoque animadvertendum est in vetere testamento nunquam dici has vel illas eius partes ex lingua Akkadica conversas esse. Etiam ex Prov 25, 1 id unum cognoscimus „viros Hizkija, regis Juda",[1] sententias Salomonis ex aliis locis collegisse atque in corpus quoddam contulisse (*he'tîkû*, LXX ἐξεγράψαντο). Et quod Neh 8, 8 Levitae ex lege dei *mephôrâš* coram populo recitasse dicuntur, primum respiciendum est id vocabulum, si spectes, quid verbum *phâraš* alibi significet (= separavit, distinxit, distincte dixit), non „addita translatione" valere; deinde linguam Hebraicam ab eo tempore (circa annum a. Ch. n. 445) etiam diu in usu fuisse; denique „transferre" (ex una lingua in alteram)

in vetere testamento verbo *thargêm* (cf. Akk. *targumânu* = interpres) exprimi (Esr 4, 7, ubi de conversione in linguam Aramaicam sermo est: part. pass. *methurgâm* = translatus).[2]

[1] „Viri Hizkija, regis Juda", collegium virorum litteratorum constituunt, cui Hizkija curam librorum divinorum servandorum et multiplicandorum commiserat. Ex traditione Judaica Jesaia ei collegio praefuit. Quod ut demonstretur, nihil aliud afferri potest nisi quod Jesaia aequalis et amicus regis Hizkija fuit.

[2] Falso igitur E. Naville (Archéologie de l'ancien testament 196) vocabulum *mephôrâš* „transferre" (traduire) significare dicit. Idem etiam (ib. 41) falso contendit viros Hizkija proverbia ex una lingua in alteram convertisse. — Conferas E. König, Die moderne Pentateuchkritik und ihre neueste Bekämpfung (Leipzig 1914) 69 s.

Quae cum ita sint, pro opinione eorum, qui Israelitas linguâ Akkadicâ et signis cuneiformibus ad leges vel res gestas conscribendas usos esse dicunt, nihil explorati proferri potest, nonnulla vero ei prorsus repugnant. Nihil ergo est, quod a communi opinione ac perpetua traditione sacros veteris testamenti libros propriâ Hebraeorum linguâ et scripturâ confectos esse discedamus.

Ceterum videas E. König, Die babylonische Schrift und Sprache und die Originalgestalt des althebräischen Schrifttums (ZDMG, LXIV, 1910, 715—732). Das AT und die babylonische Sprache und Schrift (NkZ, XXIV, 1913, 87—118). Old Testament and Babylonian language (Exp, VIII, Ser. 8, 97—115). War das AT zuerst babylonisch geschrieben? (Die Reformation 1917, 2, 14—17). J. A. Kelso, Were the early books of the OT written in cuneiform? (Festschrift E. Sachau gewidmet, 113—124. Berlin 1915). S. Ronzevalle, Langues et écritures en Israël (Recherches de science religieuse VII, 1917, 353—417). J. Haeffele, Vetus testamentum fuitne lingua accadica signisque cuneiformibus conscriptum? (Verbum Domini I, 1921, 340—344).

2) Inscriptione quadam anno 1904 inventa[1] id quoque demonstratum est sabbato, quod Israelitae septimo quoque die celebrabant, apud Babylonios ita tantum simile aliquid fuisse, ut dies lunae plenae sive dies quintus decimus cuiuslibet mensis nomine *šap(b)attu* significaretur, quo tamen negotia obibantur et res contrahebantur.[2] Ex Babyloniorum compositionibus dierum festorum cognoscimus quidem diem quoque septimum, quartum decimum, vicesimum primum, duodetricesimum cuiuslibet mensis a ceteris diebus quibusdam interdictis distinctos fuisse[3]; etiam undevicesimum diem mensis iisdem interdictis distinctum fuisse. Neque vero effici potest et eos dies nomine *šap(b)attu* appellatos esse. Illi dies habebantur dies nefasti *(ûmu lemnu)*, dies ieiunii et paenitentiae *(ûmu nûḫ libbi* = dies placationis cordis i. e. deorum iratorum). Sabbatum vero Israelitarum erat dies laetitiae (cf. imprimis

Jes 58, 13), quo se homines eo consilio quieti tradebant, ut deum colerent. Id quoque respiciendum est: Si Israelitae sabbatum a Babyloniis intercedentibus Cananaeis recepissent, apud hos aliquod eius rei vestigium reperiri posse necesse esset; sed usque adhuc nullum repertum est. Quae cum ita sint, sabbatum Israelitarum ex Babyloniorum more repeti non potest. Sed etiamsi concederemus sabbatum Babyloniorum omnino sabbato Israelitarum respondere, inde nihil aliud colligendum esset nisi hoc institutum apud utramque gentem veterrimum fuisse atque e communi fonte revelationis primae manasse.[4]

[1] Edita est a T. G. Pinches in Proceedings of the society of biblical archeology XXVI. 1904. 51—56.

[2] Sabbatum Babylonium, cum medius dies mensis lunaris sit, ad cursum lunae pertinet. Quamquam autem plenilunium saepius tertio decimo vel quarto decimo die exsistit, Babylonios tamen quintum decimum diem plenilunii diem appellasse verisimile est.

[3] Quae proprie tantum ad duos menses, sextum et octavum, pertinent, id quod ex compositione dierum festorum eorum mensium apparet. Idem autem ad ceteros quoque menses pertinuisse inde colligendum est, quod saltem reliquiae compositionum dierum festorum complurium aliorum mensium, quae eadem interdicta continent, exstent.

[4] Plura de hac re videas in „Archaeologia biblica“ anno 1917 Oeniponte a me edita p. 236—238.

Neque apud Babylonios ullum exstat vestigium hebdomadis sive periodi septenûm dierum, qua Israelitae utebantur. Nam Babylonii, quamquam mensem ita in quattuor partes divisisse videntur, ut dies septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duodetricesimus a ceteris diebus quibusdam interdictis singularibus distincti essent, tamen iis diebus ad mensem dividendum uti non cogitaverunt, praesertim cum dies duodetricesimus in mense undetriginta vel triginta dierum finis hebdomadis esse non posset.

Etiam periodus quinûm dierum *(ḫamuštu)*, quae in textibus Cappadociis commemoratur, apud Babylonios demonstrata non est, quamquam in eorum textibus astronomicis nonnulla vestigia deprehenduntur, unde mensem in sex annum in septuaginta duas partes quinûm dierum (= 360) divisum fuisse apparet. Conferas A. H. Sayce in Proceedings of the society of biblical archeology XIX, 1897, Assyriological notes nr. 3. p. 288. H. Winckler, Altorientalische Forschungen II, 1 (Leipzig 1898) 91—102. P. Jensen in Zeitschrift für deutsche Wortforschung 1900, 150—160.

3) Nomina mensium Israelitarum antiquiora (quorum tria in sacris litteris memorantur: *Ziv,* mensis secundus, 1 Rg 6, 1. 37; *'Ethânîm,* mensis septimus, ib. 8, 2; *Bûl,* mensis octavus, ib. 6, 38)[1] a Babyloniis differunt et post exsilium demum Israelitae Babyloniorum quo-

que nominibus mensium utebantur.[2] Atque nomina mensium Babylonia tempore exsilii nondum in usu fuisse constat. Vel Ezechiel ea vitavit et consuetudinem menses numeris ordinalibus significandi, quae ab aetate Mosis repetenda esse videtur, retinuit. Etiam viginti annis post exsilium, aetate Haggai et Sacharja prophetarum, Judaei ad menses significandos numeris ordinalibus utebantur. Apud Haggai (1, 1. 15; 2, 1. 10. 18) nomina mensium Babylonia omnino non leguntur. Aliter in libro Sacharja: locis, ubi tempus visionum propheticarum commemoratur (nisi ut Hagg 1, 1 numerus ordinalis VIII nomen quoque mensis Babylonium significat)[3], numero ordinali nomen mensis Babylonium additur (1, 7; 7, 1).[4] Contra in colloquio prophetae et populi, ubi certi quidam menses ut tempora paenitentiae commemorantur, menses tantum numeris ordinalibus appellantur (7, 3. 5), haud dubie quia tum (circa annum a. Ch. n. 518) nomina mensium Babylonia in Palaestina nondum vulgo nota erant. In libro quoque Esrae menses numeris ordinalibus significantur idque etiam ibi, ubi Esra ipse narrat (8, 31); tantum 6, 15 (Aram.) nomen mensis ʾAdâr sine numero ordinali invenitur.[5] Quod idem in librum Nehemiae cadit, ubi chronista ipse narrat; tantum ubi Nehemiam narrantem facit, nomina mensium Babylonia sine numeris ordinalibus inveniuntur (1, 1; 2, 1; 6, 15). Liber autem Nehemiae sine dubio potissimum pro Judaeis Palaestinensibus scriptus erat. Licet igitur nobis existimare eos posteriore parte quinti a. Ch. n. saeculi nomina mensium Babylonia recepisse, atque vix erramus, si Nehemiam ipsum ea instituisse putamus. Si respicimus unumquemque mensem Babylonium, ut apud Aegyptios et Persas, certo cuidam deo consecratum fuisse (IV R 33)[6] et cultum dei Du'uzu sive Dûzi (Tammûz), a quo quartus mensis Babylonius nomen traxit, ante interitum regni Juda in templum quoque Hierosolymitanum invasisse (Ez 8, 14), intellegimus, cur Ezechiel, quamquam in Babylonia habitabat, et Esra, quamquam ex Babylonia in patriam revertit, non Babyloniis nominibus mensium usi sint et cur ea, quamquam Judaea provincia Babylonia erat, tam sero in usum venerint.[7]

[1] Praeter tria illa nomina mensium apud Israelitas antiquos alia quoque in usu fuisse parva tabula ex lapide calcario cum inscriptione litteris antiquorum Semitarum confecta et ab A. S. Macalister anno 1908 in Tell Dschezer effossa testatur. Quae inscriptio nono vel octavo a. Ch. n. saeculo orta est atque indicem continet, ubi opera agricolarum per singulos annos facienda enumerantur. Conferas H. Vincent in RB, N. S. VI, 1909, 243—269. K. Marti in ZAW, XXIX, 1909, 222—229. S. Daichés in PEF, QSt 1909, 113—118.

[2] *Nisân* Esth 3, 7; Neh 2, 1; Νισάν Esra apocr. 5, 6; Addit. Esth 1, 1. *Sivân* Esth 8, 9: Σιουάν Bar 1, 8. *'Elûl* Neh 6, 15; 'Ελούλ 1 Mcc 14, 27. *Kislêv* Sach 7, 1; Neh 1, 1; Χασελεῦ 1 Mcc 1, 54; 4, 52; 2 Mcc 1, 9. 18; 10, 5. *Ṭêbêth* Esth 2. 16. *Šebâṭ* Sach 1, 7. Σαβάτ 1 Mcc 16, 14. *'Adâr* Esth 3, 7. 13; 8, 12; 9, 1. 15. 17. 19. 21; Aram. Esra 6, 15; Ἀδαρ 1 Mcc 7, 43. 49; 2 Mcc 15, 36; Esra apocr. 7, 5; 'Αδάρ Esth 2, 16; 3, 7. 13; 8, 12. Nomina mensium *Jjjâr, Tammûz, 'Ab, Tišri, Marḥešvan* in sacris litteris non commemorantur.

Judaei antiquiores etiamtum sciebant se nonnullas opiniones e Babylonia recepisse. Velut in Talmude *(jer. Rosch ha- schana 1, 2)* plane dicitur nomina mensium et angelorum „in eorum (Judaeorum ex exsilio redeuntium) manu" e Babylonia venisse. Doctores Judaicos, qui in Talmude verba faciunt, credidisse opiniones Babylonias receptas esse facile intellectu est, quoniam pars eorum in Babylonia habitabat, ut Babyloniorum cultus humanus ad eos pertineret. Morem autem menses numeris ordinalibus significandi Israelitae certe non e Babylonia mutuati sunt; nam ibi menses nominibus, non numeris significabantur.

[3] Mensis autem octavus Babyloniorum *Araḫ-samna* sive *Araḫ-samnu* (= Marḥešvan, a medio Octobri ad medium Novembrem) in textibus cuneiformibus non nota numeri VIII, sed plerumque ideogrammate *APIN. (GAB. BA)*, raro scripturâ phonetica *(a-ra-aḫ-sa-am-nu)* significatur. Sunt, qui putent nomine *Araḫ-samna* id tempus, quo menses nondum propriis nominibus appellabantur, sed numeris ordinalibus significabantur, describi. H. Winckler (KAT 330) usum nominis mensis *Araḫ-samna* pro priore *Kanûn* recentem esse dicit, sed id non demonstrat.

[4] Etiam Esth 2, 16; 3, 7. 13; 8, 9. 12; 9, 1 mensi numero ordinali appellato nomen mensis Babylonium additur.

[5] Falso igitur H. Winckler in KAT 331 dicit in libro Esrae menses tantum numerari.

[6] Conferas H. Winckler, Altorientalische Forschungen II, 2 (Leipzig 1900) 367 s. F. K. Ginzel, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie I (Leipzig 1906) 116. H. Gressmann, ATAT² 330.

[7] Ita F. X. Kugler, Von Moses bis Paulus 16 s.

4) Babylonii annum ab *aequinoctio verno* incipiebant.[1] Mensis Abu iam in antiquissimis textibus cuneiformibus saepius mensis ardorum, mensis Sabatu mensis nivium et frigorum appellatur. Cum ille in ordine mensium quintus, hic undecimus sit, primum mensem Nisaannu tempus a medio Martio ad medium Aprilem esse necesse est. Id quidem constat Babylonios saltem ex eo tempore, quo nomen mensis Araḫ-samna (= mensis octavus) pro priore nomine Kanûn (?) usurpabatur, annum a vere incepisse. Neque quod septimus mensis in textibus cuneiformibus Tašrit(u) (= initium, dedicatio, consecratio) nominatur, idcirco Babylonii annum ab autumno incipiebant[2], sed eo nomine solum initium hibernae dimidiae partis anni indicatur, sicut in vetere testamento saepius duae partes anni (*ḳajiṣ vâḥôreph*, proprie „aestas et autumnus",

idem quod „aestas et hiems“, Gn 8, 22; Sach 14, 8; Ps 74, 17) distinguuntur.[3] Et quod mensis Tašrit(u) apud Babylonios deae Ba'u,[4] uxoris dei Ninib (Ningirsu), sacer erat, manifestum est eum autumni mensem cum vi illius deae non congruere, quippe quae in inscriptionibus Gudea, patesi urbis Lagaš, „mater terrae“ atque in inscriptionibus regis cuiusdam urbis Isin „magna domina, mater universi, auctrix vitae, procreatrix universi“ appelletur.[5] Vix erramus, si dicimus mensem septimum nomine Tašrit(u) initio eum mensem fuisse, quo ver initium capiebat. Ceterum etiam ex vetere testamento demonstrari potest Babylonios annum a vere incepisse. Loco Jer 46, 2 annus proelii apud Karkemiš (hodie Dscherâbîs vel Dscherablûs), i. e. vicesimus primus vel ultimus annus regis Nabopolassar (605), cui rex Nebukadnezar II successit, cum quarto anno regis Jojakim aequatur, qui annus Jer 25, 1 cum primo anno regis Nebukadnezar comparatur (cf. tamen LXX). Quod ita tantum rectum est, si posterior pars anni Israelitarum priori parti anni Babyloniorum respondebat, i. e. si annus Israeliticus ab autumno, Babylonius a vere initium capiebat.

[1] Quamquam Babylonii et Assyrii cultu humanitateque arte inter se cohaerebant, tamen fieri potest, ut tempora varie computaverint. At Assyrios quoque annum a vere incepisse probabile est.

[2] Id quod H. Winckler in KAT 330 putat.

[3] Graeci Alexandrini ratione terrae Aegypti habitâ θέρος καὶ ἔαρ vertunt. Nomine ἔαρος hiemem intellexerunt; nam qui menses nobis hiemales, ii Aegyptiis vernales sunt.

[4] Quod nomen perperam cum Hebraico בהו, Βαυ apud Philonem Byblium, comparatur (KAT, 410).

[5] Frd. Jeremias apud *P. D. Chantepie de la Saussaye*, Lehrbuch der Religionsgeschichte I[3] (Tübingen 1905) 265.

Israelitae autem iam antiquitus annum ab *autumno* incepisse a) ex iis ipsis Pentateuchi locis apparet, qui ex omnium opinione ad antiquissimas eius partes pertinent, i. e. ex corporibus legum Ex 20, 22—23, 33 et Ex 34, 10—26, ubi *ḥag hâ-'âsîph* = festum collectionis pomorum *beṣê'th haš-šânâ* = exeunte anno agendum esse (23, 16) et *teḳûphath haš-šânâ* = decursum anni significare (34, 22) dicitur. Loco 1 Sm 1, 20 s. festum quoddam *litheḳuphôth hajâmîm* = post decursum dierum agendum commemoratur. Vocabulum autem *jâmîm* compluribus locis (velut Gn 4, 3; Jdc 17, 10; 1 Sm 2, 19; 27, 7; 29, 3) annum significat et vocabulum *theḳûphâ* Ex 34, 22 et 2 Chr 24, 23 cum vocabulo *šânâ* coniunctum est. Quare iudicare possumus *litheḳuphôth hajâmîm*

„post decursum anni“ interpretanda esse, et quod festum hîc commemoratur, esse festum collectionis pomorum, quod tota messe percepta agebatur. Anni igitur initium apud Israelitas antiquos in idem tempus incidit, quo frigidior pars anni initium capit.[2]

[1] E. König, Historisch-kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache (Leipzig 1881—97) II, 2, 213 s. § 266 ab.

[2] A. Dillmann (Über das Kalenderwesen der Israeliten vor dem babylonischen Exil. Monatsberichte der Berliner Akademie 1881, 914—935) locis allatis finem anni significari negat; nam si ita esset, finem mensis Octobris initium anni esse appareret; cuius rei simile cum apud alias gentes nihil reperiatur, id tempus anni, quo agricolarum opera finita sunt, non finem anni ipsius significare. — Ad quae respondenda sunt haec: Primum ex libidine fit, ut corpora legum Ex 20, 22—23, 33 et Ex 34, 10—26 ut „popularia“ neglegantur; deinde non intellegitur verbis „exeunte anno“ et „decursu anni“ in dictione populari aliam vim inesse oportere atque iis inest; denique etiam id usu venit, ut id tempus, quo solum ab agricolis coli desinitur, et finis et initium anni sit; Lacedaemonii quidem et Macedones ab autumno annum incipiebant.

W. Riedel (ZAW, XX, 1900, 329—332) dicit verba *beṣê'th haš-šânâ* „exeunte anno“ significare, sed ita, ut „initium anni“ intellegendum sit; verbum *jâzâ* eadem vi usurpatum esse ut Ps 19, 6 a. 7 a, ubi sol exire i. e. oriri dicitur; in Akkadica quoque lingua dici: *ištu ûmi ša šattu uṣṣi* i. e. „ab eo die, unde annus incipit“, non „ubi annus exit“; quare verba *bêṣê'th haš-šânâ* „initium anni“ significare i. e. id tempus, a quo annus orbem suum per duodecim signa zodiaci facere incipiat. At illa verba Hebraica id valere verisimile non est. Nam cum Ex 23, 16 de festo collectionis pomorum sermo sit, dubium esse non potest, quin eius tempus exitus sive finis anni esse dicatur, quippe cum id festum nunquam apud Israelitas festum anni incipientis fuerit. Neque Cananaeos a festo autumnali annum incepisse demonstrari potest. — Idem auctor etiam verba *tekûphath haš-šânâ* ita interpretari vult, ut „orbem anni“ significent (*nâkaph* = in orbem it). At „orbem“ dici pro eo „tempore, a quo is orbis incipit“, ad arbitrium iudicatur.

b) Ceterum iam historia diluvii (Gn c. 7—8) annus ab autumno incipiens ponitur; nam secundus mensis anni ab autumno incipientis, quo diluvium exortum est, octavus mensis anni a vere incipientis est, a quo proprium pluviae tempus sive ipsum tempus hiemale initium capit. Etiam quod Lv 23, 24 s. et Nm 29, 1—6 praecipitur, ut neomenia septima, i. e. mensis Tišri, clangore tubarum indicetur, id ex nonnullorum opinione ita tantum explicatur, ut Israelitae ab ea nova luna novum annum inceperint. At iis locis novi anni nulla fit mentio, sed tantum praescribitur, ut nova luna mensis septimi clangore tubarum, quiete sabbatica, certis quibusdam sacrificiis celebretur. Ex libris autem Rg annum usque ad excidium Hierosolymorum (587) ab autumno

initium cepisse demonstrari potest. Nam anni regni Zedekia, ultimi regis Juda, ab autumno ad autumnum numerantur. Hierosolyma secundum 2 Rg 25, 1 (Jer 39, 1; 52, 4) die decimo mensis decimi anni noni regis Zedekia, secundum Ez 24, 1 s. die decimo mensis decimi anni noni, postquam rex Jojakin (Jechonja) in exsilium abductus erat, obsideri coepta sunt. Qui posterior annus a mense Nisân anni 590 usque ad mensem Nisân anni 589 pertinet. Annus igitur nonus regis Zedekia, qui regi Jojakin successit, et ipse ab anno 590 usque ad annum 589 statuendus est, nisi quod reperiendum est, utrum is annus a mense Nisân an ab autumno anni 590 initium ceperit. Ex Ez 33, 21 autem cognoscimus eum haud dubie ab autumno anni 590 initium cepisse; nam ibi memoriae traditur Hierosolyma anno duodecimo post abductionem in exsilium a Chaldaeis expugnata esse. Qui annus duodecimus respondet anno, qui a mense Nisân anni 587 usque ad mensem Nisân anni 586 pertinebat. Secundum Jer 52, 5—7 Hierosolyma mense quarto anni undecimi regis Zedekia, secundum 2 Rg 25, 2—4 anno undecimo regis Zedekia capta sunt. Quodsi ponimus annum nonum regis Zedekia a mense Nisân 590 usque ad mensem Nisân 589 statuendum esse, annus undecimus regis Zedekia anno, qui a mense Nisân 588 usque ad mensem Nisân 587 pertinebat, respondet i. e. Hierosolyma anno demum duodecimo regis Zedekia capta sunt, quod locis 2 Rg 25, 2 et Jer 52, 5 repugnat. Quae cum ita sint, anni regis Zedekia ab autumno ad autumnum numerandi sunt: annus nonus regis Zedekia ab autumno anni 590 usque ad autumnum anni 589 et annus undecimus ab autumno anni 588 usque ad autumnum anni 587 pertinet. Tum igitur annus ab autumno initium cepit. — Etiam aetate regis Josia anni initium in autumnum cadebat. Quod ex loco 2 Rg 23, 23 perspicimus, ubi festum paschatis memoratur, quod anno duodevicesimo regis Josia celebratum est. Inter id festum et librum legis in templo renovando inventum, quae res eodem anno accidit (2 Rg 22, 3—11), plus quattuordecim dies praeterisse necesse est, propterea quod emendatio cultus ante festum paschatis die quinto decimo mensis Nisân celebratum iam peracta erat. Quare liber legis non mense Nisân, sed priore aliquo mense inventus est, qui tamen anni duodevicesimi regis Josia fuit. Is igitur annus non a mense Nisân, sed ab autumno initium cepit.[1] — Ex nonnullorum opinione tres quoque anni siccitatis, qui aetate regis Ahab (873—854) fuerunt (1 Rg 17, 1; 18, 1), nisi tum anni initium in autumnum cecidisse ponas, neque explicari neque cum iis, quae

Menander in historia Ithobal (Ethba'al), regis Tyriorum (887—855)*, memoriae tradit (apud Jos. Ant. Jud. 8, 13. 2), coniungi possunt.[2] — Doctores quoque Judaici *(bab. Rosch ha-schana 2 a. 7 a)* a Mose usque ad exsilium Babylonium Nisân illum quidem primum mensem, Tišri autem initium anni fuisse dicunt. — Item ex tabula cum inscriptione litteris antiquorum Hebraeorum confecta, quae anno 1908 in Tell Dschezer effossa est, Israelitas sexto a. Ch. n. saeculo annum ab autumno incepisse apparet.

[1] G. Schiaparelli (-*W. Lüdtke,* Die Astronomie im AT 104. Giessen 1904) negat locis 2 Rg 22, 3—11; 23, 23 demonstrari annum ab autumno initium cepisse: „nam festum paschatis non primo, sed quinto decimo die anni celebratum esse; spatium igitur quattuordecim dierum fuisse, quo liber in templo inventus legi et celebratio paschatis praeparari potuerit." At res gestas, quae inter librum legis inventum et pascha celebratum intercedunt (e. c. abolitionem locorum excelsorum in Bethel ceterisque urbibus Samariae, de qua 2 Rg 23, 15—20 agitur), non respexit.

Ceterum hîc respiciendum est emendationem cultus, quam Josia anno duodecimo regni sui incepit (2 Chr 34, 3), ex nonnullorum virorum doctorum opinione prius fuisse quam liber legis inventus est, quod anno duodevicesimo regis Josia accidit; quae de ea cultus emendatione 2 Ch 34, 3—7 paucis nuntiantur, ea 2 Rg 23, 4—20 copiose narrantur et haec narratio ordinis temporum ratione habitâ ante 2 Rg 22, 3 ponenda est (cf. F. X. Kugler, Von Moses bis Paulus 65. 139—141. 285). Quod si recte se habet, inventio libri legis non fuit causa emendationis cultus a Josia peractae.

[2] De qua re videas A. Šanda (Die Bücher der Könige I. 415—417. Münster i. W. 1911), qui demonstrare studet illam siccitatem haud diuturniorem quam annum fuisse, ab autumno anni 857 usque ad autumnum anni 856, id quod etiam narratione illa Menandri confirmetur, qui aetate regis Ithobal magnam siccitatem a mense Hyperberetaio (qui mensi Tišri respondet) unius anni usque ad mensem Hyperberetaium alterius anni fuisse memoriae prodat. Neque ab eo verba „tertio anno" (1 Rg 18, 1) abhorrere, si annum ab autumno initium cepisse ponas. Eliam enim ante annum 857 ab autumno initium capientem siccitatem praedixisse, primam autem pluviam post annum 856 ab autumno incipientem defluxisse, tertio igitur anno. Postea eam siccitatem, quippe cum ad tres annos pertineret, cum dimidia parte periodi calamitatis septem annorum (cf. Gn 41, 30. 54) aequatam et de siccitate trium annorum et sex mensium dictum esse (Lc 4, 25; Jac 5, 17). Quod a nonnullis propterea repudiatur, quod 1 Rg 17, 1 dicatur fore, ut „his annis" neque ros neque pluvia sit; id non de

* 1 Rg 16, 31 Ethba'al rex Sidoniorum fuisse dicitur. Josephus autem (Ant. Jud. 8, 13. 1) eum regem Tyriorum et Sidoniorum appellat. Menander (apud Jos. CAp 1, 18) eum inter reges Tyriorum numerat. Quod igitur in sacris litteris traditur, id parum accurate descriptum est; quod tamen ita explicatur, ut adiectivum „Sidonius" in vetere testamento etiam pro adiectivo „Phoenicius" usurpetur; Sidonii autem tum Tyriis parebant.

uno anno accipi posse, quoniam pluralis non sit singularis. Alii narrationem biblicam a narratione Menandri abhorrere negant, cum poni possit terram Phoenicum serius quam terra Israelitarum siccitate vexatam esse.

F. X. Kugler (Von Moses bis Paulus 142—146) demonstrare studet regnante Ahab annum non a primo die mensis Tišri, sed a primo die mensis Nisân initium cepisse et siccitatem a mense 'Adâr primi anni usque ad mensem Nisân tertii anni, i. e. 13 (14) menses, quibus sex menses (a mense Jjjâr usque ad mensem Tišri) adnumerandi sint, durasse. Narrationem Menandri tantum ad siccitatem unius anni, quae aetate Ithobal, regis Tyriorum, fuerit, pertinere. Ita etiam in „Stimmen der Zeit" CXIV, 1927, 95—97.

c) Primum certum vestigium, unde Israelitas ut Babylonios annum a vere incepisse apparet, Jer 36, 22 invenimus, ubi legimus: „Rex (Jojakim) sedebat in domo hiemis (tempestati hiemali accommodata) mense nono (qui nostro fere Decembri respondet) et focus coram eo ardebat".[1] Morem igitur annum a vere incipiendi inde a quinto demum anno regis Jojakim (cf. v. 9) i. e. ab anno sescentesimo quarto observare possumus. Cum autem narratio prophetae non eo anno hanc formam, quae nunc legitur, acceperit, sed ea forma Hierosolymis a Chaldaeis eversis demum a Baruch constituta sit, ex illo loco minime colligitur Israelitas re vera iam quinto anno regis Jojakim annum a vere incepisse. Quod tamen certa vestigia anni a vere incipientis post id tempus, quo auctoritas novi regni Babyloniorum ad regnum Juda pertinere coepit, inveniuntur, is modus anni incipiendi ad Babylonios referendus est.[2]

[1] Focus dicitur per metonymiam pro lignis in foco accensis.

[2] Chronistam ver anni initium esse existimare ex locis 2 Sm 11, 1 cum 1 Chr 20, 1 et 2 Rg 12, 18 cum 2 Chr 24, 23 comparatis elucet. De quibus locis infra dicemus. Item Judaei in Elephantine-Syene commorantes annum vere a mense Nisân incipiebant.

Sed non omnes inde ab eo tempore initium anni a vere orsi sunt atque imprimis multitudo annum ab autumno incipere pergebat. Ex Ez 40, 1, ubi propheta de die decimo mensis Tišri agit eique diei verba *berô'š haš-šânâ* (= initio anni) anteponit, nonnulli colligunt eum ab eo die annum coepisse atque aliquid simile in eo esse dicunt, quod annus quoque iubilaeus a die decimo mensis Tišri initium capiebat (Lv 25, 9 s.). At dies quoque decimus mensis primi ad „initium anni" pertinet, si annus a die primo mensis Tišri incipit.[1] — Apud Neh 1, 1 et 2, 1 annus haud dubie ab autumno initium capit; nam Nehemia mense Kislêv (a medio Novembri ad medium Decembrem) anni vice-

simi regni Artaxerxis I Longimani tristes nuntios de condicione Hierosolymorum accepit (1, 1—3) et mense Nisân (a medio Martio ad medium Aprilem) eiusdem vicesimi anni ei permissum est, ut Hierosolyma proficisceretur (2, 1—6). Etsi Neh 1, 1 post verba „anno vicesimo“ nomen „Artaxerxes“ deest, tamen dubium esse non potest, quin hîc pariter eius vicesimus regni annus intellegatur ac 2, 1. Neque magis est causa, cur statuatur verba „anno vicesimo“ ex Neh 2, 1 in 1, 1 illata esse. — Ceterum etiam Israelitarum cum gentibus Aramaice loquentibus commercium, imprimis Syrorum auctoritas, initio anni ab autumno incipiendo favit, nisi quod in 1. libro Mcc, quamquam in eo aera Seleucidarum, quae ab Octobri anni a. Ch. n. 312 incipit, observatur (1, 10s.), tamen menses a vere computantur, cum 13, 51 mensis Jjjâr (a medio Aprili ad medium Maium) secundus; 10, 21 mensis, quo festum scenopegiae agebatur, i. e. mensis Tišri (a medio Septembri ad medium Octobrem), septimus; 4, 52 mensis Kislêv (a medio Novembri ad medium Decembrem) nonus; 16, 14 mensis Šebâṭ (a medio Januario ad medium Februarium) undecimus appelletur. Quae cum ita sint, ex se intellegi videtur etiam annos, quibus in libris Mcc computatur, a vere initium capere. At cum aera Seleucidarum alioquin vulgo ab autumno incipiatur, nonnulli et in illis libris, quamquam menses a vere computentur, tamen annos ab autumno incipi existimant, quae opinio, nisi rationes summi momenti ei obstarent, comprobanda esset. Pro eo autem, ut aera Seleucidarum 1. libri Mcc non ab autumno, sed a vere initium capiat, haec afferri possunt: α) Secundum 7, 1 Demetrius anno 151 aer. Sel. ab urbe Roma exiit et rex Syrorum factus est. 7, 43—49 memoriae proditur Nicanorem die tertio decimo mensis ʾAdâr proelio adversus Judam Maccabaeum commisso et devictum et occisum esse. Annus non significatur. Cum autem 9, 3 narretur „mense primo“ anni 152 aer. Sel. novum exercitum a Demetrio in Palaestinam missum esse, ponendum est Nicanorem die tertio decimo mensis ʾAdâr anni 151 cladem illam accepisse, ut, cum „mensis primus“ anni 152 haud dubie mensis Nisân intellegendus sit, mensis autem Nisân mensem ʾAdâr excipiat, si ponimus novum annum non a die primo mensis Nisân, sed a die primo mensis Tišri ordiendum esse, inter res gestas, quae 7, 43—49 et 9, 3 narrantur, spatium tredecim mensium intercederet. At cum eae res inter se paene continuentur (cf. 7, 50: „Siluit terra Juda dies paucos“, ἡμέρας ὀλίγας), novus annus a die primo mensis Nisân initium ceperit necesse est. — β) Secundum 10, 1 Ale-

xander Balas anno 160 aer. Sel. Ptolemaide occupatâ regno potitus est et secundum 10, 21 Jonathan „mense septimo“ eiusdem anni, „die sollemni scenopegiae“ i. e. die quinto decimo mensis Tišri vestem pontificalem induit. Si igitur annus a die primo mensis Tišri initium cepisset, non plus temporis quam quattuordecim dies omnibus illis rebus gestis, quae 10, 1—21 memoriae produntur, relictum esset, quod fieri non potest. Itaque annus a mense Nisân computatus est. Quae cum ita sint, auctor 1. libri Mcc aeram Seleucidarum cum anni initio a vere sumpto sequi existimandus est. — γ) Aliam computandi rationem auctor 2. libri Mcc sequitur. Is anni initium ab autumno sumere videtur, ita ut haec aera sex mensibus a priore differat. Nam secundum 1 Mcc 6, 16 Antiochus Epiphanes anno 149 mortuus est, secundum 2 Mcc 11, 16—38 anno 148 (ex epistulis enim eius anni apparet eum mortuum esse); secundum 1 Mcc 6, 20 Judas Maccabaeus Syros proelio prope oppidum Bethzachara (Chirbet Bêt Zakârjâ) anno 150 vicit, secundum 2 Mcc 13, 1 anno 149. Sequitur, ut in 1. libro Mcc annus primus aerae Seleucidarum sex mensibus prius initium capiat quam in 2. libro; nam utroque loco 1. liber maiorem annorum numerum continet. Ex aliorum opinione in 2. libro computatio a mense Tišri anni 311 incipit, ita ut aerae initia octodecim mensibus distent. Tale autem computationis discrimen mirum non est, quippe cum omnes fere urbes maiores Palaestinae aetate Graecorum-Romanorum suam quaeque haberent aeram propriam.[2]

[1] Ez 45, 18—20 duplex expiatio sanctuarii praescribitur: „primo (mense), primo (die illius) mensis“ (v. 18) et „septimo (die illius) mensis“ (v. 20). Quia vero duplex expiatio sanctuarii uno eodemque mense facienda intellegi non potest, existimandum est v. 20 initio tantum verba „septimo (mense), neomeniâ“ scripta fuisse (cf. LXX v. 20: ἐν τῷ μηνὶ τῷ ἑβδόμῳ, μιᾷ τοῦ μηνός). Hîc respiciendum est diem primum mensis septimi simpliciter „neomeniam“ (v. 20), diem autem primum mensis primi tantum „diem primum“ (v. 18) appellari. Prophetae igitur, quamquam eum mensem, quo festum paschatis celebratur, primum mensem appellat (45, 21), tamen primus dies mensis septimi „neomenia“ κατ' ἐξοχήν fuit.

[2] Conferas G. F. Unger, Die Seleuciden-Ära der Makkabäerbücher. München 1895. J. Hontheim, Zur Chronologie der beiden Machabäerbücher (ZkTh, XLIII, 1919, 1—30). W. Kolbe, Beiträge zur syrischen und jüdischen Geschichte. Kritische Untersuchungen zur Seleukidenliste und zu den beiden ersten Makkabäerbüchern (Beiträge zur Wissenschaft vom AT II, 10) Stuttgart 1926. Die Seleukidenära des 1. Makkabäerbuches (Hermes 1927, 2, 225—242).

d) Ex 12, 2 Jahve Israelitis in Aegypto commorantibus praecipit: „Hic mensis vobis est caput mensium; hic vobis primus anni

mensis". Intellegitur mensis Nisân, quo festum *pesaḥ* celebratur. Quamquam ex eo loco colligendum non est Israelitas iam aetate Mosis annum a vere incepisse; nam in duobus corporibus legum Ex 20, 22—23, 33 et Ex 34, 10—26 de anno a vere incipiendo nihil legitur, cum id, si moris fuisset, praeteriri non posset. Sed res ita se habet: Quamquam annus ab autumno initium capiebat, tamen dies festi a *pesaḥ* numerabantur. *Pesaḥ* unâ cum diebus *maṣṣôth* primum festum magnum erat, quod vere agebatur, cum messis hordei incipiebatur; septem hebdomadibus post festum *ḳâṣîr* agebatur, cum tritici messe finis fiebat messi frugum; postremo festum *'âsîph,* quod autumno agebatur, cum omnis perceptio fructuum confecta erat. In magnis igitur anni festis enumerandis cum Israelitae non ab initio anni ordirentur, index festorum nullum habet vestigium alterius finis anni nisi eius, qui in iis diserte indicatur et ex quo solo anni initium effici potest: initium et finis anni eo tempore, quo festum *'âsîph* agebatur, constituebantur. Josephus quoque (Ant. Jud. 1, 3. 3) dicit, quod Moses annum a mense Nisân incipi iusserit, id in solis rebus ad religionem pertinentibus observari, cum ad res vendendas emendasque aut ad alia negotia obeunda annus ex pristino more ante Mosen usitato incipiatur; tum autem, id quod ex verbis, quae antecedunt (quibus mensis Marḥešvan [a medio Octobri ad medium Novembrem] secundus mensis appellatur), apparet, annus a mense Tišri incipiebatur. Nisân igitur principium mensium anni ecclesiastici, Tišri principium anni civilis erat.

Mos annum ecclesiasticum a primo die mensis Nisân incipiendi certe non a Babyloniis receptus est; nam id ita intellectum esset, ut Israelitarum religio Babyloniorum religioni accommodaretur (cf. primum sollemne dei Marduk nomine *Zagmuk* primo die mensis Nisân Babylone celebratum).

Dictum est iam aetate Salomonis annum non ab autumno, sed a vere inceptum esse.[1] Quod ex verbis 2 Sm 11, 1: „revertente anno, tempore egressionis regum" apparere. Egressionem regum nihil aliud intellegendum esse nisi bellum; Assyriorum quoque monumenta (imprimis inscriptiones regum Assurnaṣirpal, Salmanassar II, Samsi-Adad IV, Sargon, Assurbanipal) testari, ver usitatum tempus proficiscendi ad bellum fuisse. At quaeritur, num verba „tempore egressionis regum" nihil aliud sint nisi supervacanea repetitio antecedentium „revertente anno". Id, si propriam vim verborum „revertente anno" (cf. LXX ἐπιστρέψαντος τοῦ ἐνιαυτοῦ) respicimus, diiudicari non potest. Quae cum ita sint, illa sententia loco 2 Sm 11, 1 non comprobatur.[2] Id

tamen animadvertendum est loco parallelo 1 Chr 20, 1 verba loci 2 Sm 11, 1 in verba „tempore revertentis anni, tempore egressionis regum“ commutata esse. Chronista cum verba „tempore egressionis regum“ antecedentibus „revertente anno“ ita apposita esse iudicet, ut idem valeant, iis vocabulum „tempore“ anteponit. Praeterea verba 2 Rg 12, 18: „Tunc ascendit Hazael, rex Syriae“, a chronista 2 Chr 24, 23 in verba: „Cum evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriae“ commutata esse. Unde apparet chronistam, qui post exsilium Babylonium scripsit, tempus revertentis anni tempus bellorum i. e. ver initium anni existimasse.

[1] G. Schiaparelli, Die Astronomie im AT 102s.

[2] Ceteris quoque locis a G. Schiaparelli allatis non demonstratur iam circa annum a. Ch. n. 900 annum a vere inceptum esse. Nam etsi annus ab autumno initium capiebat, dici poterat: „Revertente anno rex Syriae contra te ascendet“ (1 Rg 20, 22. cf. v. 26). Quae verba nihil aliud significant nisi sequente anno expeditionem Syrorum instare.

Dictum est[1] Israelitas circiter ab anno a. Ch. n. 700 annum a vere incepisse idque loco 2 Rg 19, 29 (= Jes 37, 30) comprobari, ubi Jesaia regi Hizkija dicit: „Et hoc sit tibi signum: Hoc anno comedetis *sâphîaḥ*[2], proximo anno *sâḥîš*[3], tertio anno sementem facietis et metetis et vineas plantabitis et fructum earum comedetis“. Vocabulum *sâphîaḥ* non frumentum, quod ex superioris anni granis sine nova semente sponte provenit, valere. Quod impugnari non potest, quoniam ea vis vocabuli *sâphîaḥ* loco allato non ut aliis duobus locis, ubi praeterea legitur (Lv 25, 5. 11), ex contextu efficitur. Quare illa verba significare possunt Israelitis hoc anno id frumentum comedendum esse, quod ex granis messis eiusdem anni etiam matuerit. At quî ex illis verbis colligi potest Israelitas annum non ab autumno incepisse? At cur ex hoc loco apparet mensem Nisân initium anni fuisse? Aestate enim exeunte eius anni, qui ab autumno antecedente inceperat, optime dici poterat: Hoc anno, cum exercitus Assyriorum messe potitus sit, iis contenti simus necesse est, quae in agris sponte crescunt, et proximo quoque anno Assyrii nos impedient, quominus agros colamus (ab altera parte dimidia nostri mensis Novembris), sed tertio anno agri et vineae, ut solemus, rursus colentur. Contra quam explicationem id unum dici potest inter tempus vaticinii prophetae (19, 29), et interitum exercitus Assyriorum (19, 35) tres fere menses interesse oportuisse, cum scriptor biblicus 19, 35 illi vaticinio verba „illâ nocte“ adiungit. At cum ea verba loco parallelo

Jes 37, 36 desint, loco 2 Rg 19, 29 = Jes 37, 30 demonstrari non potest annum a vere initium cepisse.[4]

[1] G. Nagel, Der Zug des Sanherib gegen Jerusalem nach den Quellen dargestellt (Leipzig 1902) 103—105.

[2] *Sâphîaḥ* est „frumentum, quod ex superioris anni messe effusum est s. excidit et sine nova semente sponte provenit" (G. Gesenius, Thes. 965 a).

[3] *Sâḥîš* (pro quo Jes 37, 30 *šâhîs* scriptum est) est „frumentum vile et rarum, quod in agro sponte crescit e granis, quae deciderunt, secundo post sementem factam anno" (G. Gesenius, Thes. 1389 b).

[4] Conferas K. Fullerton, The invasion of Sennacherib (Bibliotheca sacra) Oberlin, Ohio 1906. L. L. Honor, Sennacherib's invasion of Palestine. New York 1926.

Adnotatio. — F. X. Kugler (Von Moses bis Paulus 134—150) usque ad exsilium Babylonium annum a primo die mensis Nisân initium cepisse non demonstravit. Neque ei contigit, ut causas pro anni initio autumnali allatis refutaret. Ceterum videas E. König, Kalenderfragen im althebräischen Schrifttum (ZDMG, LX. 1906, 624—644).

5) Praeterea haec respicienda sunt: a) Israelitarum nomina stellarum (*hêlêl* Jes 14, 12 = stella lucida i. e. stella matutina, Veneris sidus; *ʿâš* Job 9, 9 sive *ʿajiš* ib. 38, 32 = stella Aldebaran i. e. stella primae magnitudinis in sidere tauri unâ cum Hyadibus; *kesîl* Am 5, 8; Jes 13, 10; Job 9, 9; 38, 31 = Orion, sidus iuxta frontem tauri situm, ex triginta octo stellis conspicuis constans; *kîmâ* Am 5, 8; Job 9, 9; 38, 31 proprie cumulus stellarum = Pleiades sive Vergiliae, quae sunt septem stellae maiores aliaeque minores arte conglomeratae in cauda tauri; *nâḥâš* Job 26, 13 = sidus serpentis sive draconis, quod inter duos ursos conspicitur;[1] *ḥâdrê têmân* Job 9, 9 = penetralia austri i. e. sidera in penetralibus austri recondita vel constellationes caeli antarctici, probabiliter = navis Argo, Centaurus, crux meridiana, fortasse Sirius quoque, clarissima stella totius caeli)[2] neque apud Babylonios deprehenduntur neque ex eorum lingua duci possunt. Id unum concedendum est ut Babylonios, ita Israelitas stellas ut exercitum caeli considerasse idque ratione cum numeri tum ordinis earum habitâ.[3]

[1] Alii loco allato contextus ratione habitâ vocabulo *nâḥâš* nullum sidus significari existimant.

[2] Secundum punctationem masorethicam Am 5, 26 *Kijjûn* legendum est. At nunc demonstratum est *Kevân* legendum esse, quod est nomen Saturni apud antiquos Arabes *(kaiwân)*, Syros *(ke'von)*, Assyrios *(kaiamânu)*. — Nomina *Gad* et *Meni* (Jes 65, 11) Jovem et Venerem planetas significare non constat. Probabilius deum fortunae (cf. Syr. *gadô* = fortuna, *gædôno* = fortunatus) et deam fati Manât (quam Arabes ante Muhammedis aetatem venerabantur) significant.

[3] Videas G. Schiaparelli, Die Astronomie im AT 50—67.

b) Apud Israelitas pueri octo dierum circumcidebantur (Gn 17, 12; 21, 4; Lv 12, 3; Lc 1, 59; 2, 21), Babylonii autem et Assyrii hunc morem omnino ignorabant.[1] Sine ratione satis confirmata nonnulli in imagine quadam cylindri signatorii Babylonii circumcisionem, non sacrificium infantis fictum esse putant.[2] Si circumcisio apud Babylonios usitata fuisset, Herodotus, cum institutorum Babyloniorum peritissimus esset, Hist. 2, 104 haud dubie Babylonios quoque commemorasset. Neque poenae lapidationis (Ex 19, 13; Lv 20, 2. 27; 24, 16; Nm 15, 32—35; Dt 13, 11. al.) aut in codice Ḫammurapi aut alibi apud Babylonios mentio fit.

[1] In KAT de circumcisione nullus est sermo. Conferas G. Beer in ZDMG, LVIII, 1904, 266. B. Meissner, Babylonien und Assyrien I, 394 (Kulturgeschichtliche Bibliothek I, 3) Heidelberg 1920.

[2] Item F. Hommel (ExpT, XVIII, 1906/07, 157) frustra circumcisionem Babyloniorum ex phalli forma terminorum in Babylonia usitatorum et columnae regis Ḫammurapi colligere conatus est. Et ne G. A. Barton quidem (in *J. Hastings*, Encyclopaedia of religion and ethics III, 679. Edinburgh 1911) quidquam aliud dicit nisi purgationem, quae alienigenis, si in familias Babylonias assumebantur, subeunda erat, circumcisionem fuisse posse. At de circumcisione, si ibi moris fuisset, profecto clarius dictum esset.

6) a) Quod sacrae litterae Israelitarum et textus cuneiformes Babyloniorum de iis narrationibus, quarum res aetatis patriarchae Abraham antecedentis sunt, saepius plus minusve congruunt, idcirco illae narrationes Gn 1, 1—11, 9 non ex Babyloniorum mythis receptae sunt. Cui rei vel illud repugnat, quod religio veteris testamenti (ad quam cognoscendam illae narrationes magni sunt momenti, quoniam in iis tractatur, quae ratio deo cum mundo atque genere humano intercedat) a deo revelata est. Neque illae similitudines, si respicimus Babyloniam (Ur-Kasdim) patriam gentis Israeliticae fuisse atque narrationes illas ex eodem fonte, ex traditione prima, quae vocatur, manasse, mirae videri possunt. Ut autem Israelitae et Babylonii, quamquam utrique ad Semitas pertinebant, tamen postea discesserunt ac seiuncti sunt, ita quae antiquissimis temporibus memoriae prodita erant, apud utrumque populum suas acceperunt formas: apud Babylonios et apud alias gentes multifariam immutata polytheismum prae se ferunt, apud Israelitas, quippe qui singulari quadam cura divina fruerentur, ut initio tradita erant i. e. pure et integre servata sunt.

Plura de hac re videas in libro „Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae“ (p. 51—67), quem anno 1925

Tongerloae edidi. Subsidiis litterariis ibi allatis addas H. Th. Obbink, Het bijbelsch Paradijsverhaal en de babylonische Bronnen. Utrecht 1917. P. Dhorme, Les traditions babyloniennes sur les origines (RB, XVI, 1919, 350—371). A. T. Clay, The origin of biblical traditions. Hebrew legends in Babylonia and Israel. Lectures on biblical archaeology (Yale oriental series, Researches, vol. 12) New Haven 1923. K. Fruhstorfer, Weltschöpfung und Paradies nach der Bibel. Linz 1927.

b) Quod attinet ad leges civiles a Mose nomine Jahvae genti Israeliticae datas, recentiore aetate liber foederis (Ex 20, 22—23, 33) cum codice Ḫammurapi comparatus atque inter ea corpora legum magna similitudo reperta est.[1] Et profecto, ut liber foederis, ita codex Ḫammurapi non est corpus legum, quas iudex ad singulas causas adhibeat, sed tantum collectio sententiarum, quibus iudex ut norma utatur. Etiam forma condicionalis praeceptorum iuris, quae in libro foederis (21, 1—22, 10) legimus, — „si quis hoc aut illud fecerit, hanc aut illam poenam subibit" — legibus codicis Ḫammurapi plane respondet; soli ii loci libri foederis, qui eius modi res, quae in codice Ḫammurapi non exstant, praecipiunt, illâ formâ condicionali quamvis aptâ carent (velut 21, 12. 13. 15—17). Item series et damnorum 21, 28—32 enumeratorum et praeceptorum 21, 15—17. 18—21 paragraphis 250—252 et 167—169 codicis Ḫammurapi respondet. Quibus similitudinibus eorum corporum legum complures aliae adiungi possunt. Praeterea cum Moses quingentis fere annis post Ḫammurapi esset, etiam servato temporum ordine fieri potuit, ut nonnullae eius leges e codice Ḫammurapi depromerentur. At respiciendum est Mosen non in Babylonia, sed in Aegypto excultum esse atque magnam partem vitae apud Midianitas paeninsulae Sinaiticae degisse. Quae cum ita sint, similitudines, quae inter librum foederis et codicem Ḫammurapi intercedunt, inde explicandae esse videntur, quod, cum codex Ḫammurapi per complura saecula in Asia anteriore multum valeret, populi ibi habitantes, in quibus Israelitae quoque numerandi sunt, eum pro iuris norma habebant. Moses enim non prorsus novam legem dedit, sed etiam ius, quod in gente Israelitica iam in usu erat, retinuit, ita tamen, ut id notionibus religionis Jahvae imbueret atque excoleret. Quare lex Mosaica, quamquam in nonnullis rebus e codice Ḫammurapi pendet, tamen multo superior est. Nec mirum; nam codex Ḫammurapi in humana, lex Mosaica, cum monotheismum et divina de moribus praecepta prae se ferat, in divina auctoritate innititur. In lege Mosaica clare dicitur hominem deo rationem consiliorum factorumque reddere debere, quod in legibus Ḫammurapi,

quamquam in exordio plures dii Babyloniorum invocantur, prorsus deest. Lex Mosaica id spectat, ut discrimen hominum ingenuorum et servorum paulatim tollatur, et praecepto amoris alterius dilucide magnam dignitatem hominis ostendit, cum in legibus Ḫammurapi nullum vestigium eius rei reperiatur. Neque usquam in iis cupiditati humanae obsistitur, cum in lege Mosaica cum alia tum haec praecepta primum obtineant locum: „Non concupisces . . .!" Lex Mosaica praecepta continet, quibus immensa auctio divitiarum, imprimis possessionis agrorum, coerceatur; in codice Ḫammurapi eius modi praecepta prorsus desunt. Lex Mosaica ordinem feminarum religionis causâ stupra facientium praetermittit; in codice autem Ḫammurapi de eius iure accurate agitur (§ 178—182). Poenae lege Mosaica constitutae poenis codicis Ḫammurapi multo sunt leviores, imprimis eorum delictorum, quae ad proprietatem pertinent; legis enim Babyloniae in triginta quattuor eius modi delictis, in quibus etiam talia sunt, quae nobis res pusillas spectare videntur, reum morte multant, ita ut lege Mosaica vitam hominis multo pluris aestimari manifestum sit. Poena mutilationis in lege Mosaica tantum semel statuitur (Dt 25, 12), cum apud Babylonios decem variae mutilationes (desecta lingua, auris, mamma; ereptus oculus; abscissae manus etc) commemorentur. Quidquid ad convictum hominum et ad iura pertinet, apud Babylonios adeo in ordinem redactum et constitutum est, ut similes res apud Israelitas nullo tempore reperiantur; ob id ipsum non existimes leges libri foederis magnam partem e codice Ḫammurapi manasse.[2]

[1] Conferas H. Grimme, Das Gesetz Hammurabis und Moses. Köln 1903. C. v. Orelli, Das Gesetz Hammurabis und die Thora. Leipzig 1903. D. H. Müller, Die Gesetze Hammurabis und ihr Verhältnis zur mosaischen Gesetzgebung sowie zu den XII Tafeln. Wien 1903. P. Koschaker, Rechtsvergleichende Studien zur Gesetzgebung Hammurapis, Königs von Babylonien. Leipzig 1917.

[2] A. Menes quoque (Die vorexilischen Gesetze Israels im Zusammenhang seiner kulturgeschichtlichen Entwicklung [50. BZAW] 44 s. Giessen 1928) agnoscit codicem Ḫammurapi ad legislationem Israeliticam nihil pertinuisse. Quod autem nonnullae leges libri foederis legibus codicis Ḫammurapi similes sint, id non ita explicandum esse, ut ex his receptae sint, quoniam similes leges apud alias quoque gentes antiquas inveniantur, quae dubium non sit quin ad Israelitas nihil pertinuerint. A. Šanda (Moses und der Pentateuch 173—177) demonstrare studet librum foederis potissimum leges, quas Israelitae in terra Gosen commorantes observabant, continere easque Mosen nomine Jahvae cum nonnullis additamentis populo ad montem Sinai denuo ita imposuisse, ut iis teneretur.

c) Sunt, qui existiment librum Job a carmine Babylonio de „patiente iusto“ IV Rg 60 (Daily Telegraph 151, Kujundschik Collection 2518, 3972) dependere. Is „patiens iustus“ (qui regiae quidem dignitatis, sed non, ut putabatur, rex urbis Nippur nomine Ṭâbi-utul-Bêl, cuius in tab. 3. lin. 5. mentio fit, est) preces lugubres, quibus similiter ac Job mala sibi in omni pietate imposita describit, pronuntiat. Ut mortem exoptat, ita timet, quoniam ab omnibus amicis et propinquis desertus neminem habet, qui pro eo ritus funebres exsequatur. Quare animum suum orat, ut sibi id officium praestet. Sed animus recusat eiusque cogitationes immutare studet.

At licet nonnullae similitudines libro Job cum eo carmine intercedant, tamen plura inter se differunt atque communis est sola fere quaestio, unde mala, quibus iusti haud raro a deo in hac vita affliguntur, manent. Probabile est auctorem libri Job carmen illud Babylonium aut omnino ignorasse aut si cognoverat, eo usum non esse. Item probabile est utrumque carmen ad narrationem aliquam solutam referendum esse, sed ita, ut utrique carmini non eadem narratio subfuerit. Fieri potest, sed verisimile non est, ut utrumque carmen in traditionibus popularibus positum sit, quae e fonte communi manaverunt, sed et in Babylonia et in terra Canaan (in terra trans Jordanem sita) libere excultae sunt.

Librum Job a narratione illa Babylonia nequaquam pendere S. Landersdorfer (Eine babylonische Quelle für das Buch Job? [BSt, XVI, 2] Freiburg i. Br. 1911) diligenter demonstravit. Praeterea videas M. Jastrow, A Babylonian Job (The contemporal review 1906, 801—808), A Babylonian parallel to the story of Job (JBL. XXV, 1907, 135—191). K. Fruhstorfer, Ein assyrisch-babylonisches Gedicht und das biblische Buch Job (ZkTh, XXXI, 1906, 755—762). P. Dhorme, Choix de textes religieux assyro-babyloniens (Études bibliques) nr. XX. Paris 1907. F. Martin, Le iuste souffrant Babylonien (JA, S. XVI, 1911, 75—143). T. Paffrath, Das Buch Job und seine angebliche babylonische Vorlage (Theologie und Glaube V, 1913, 648—657). G. A. Barton, Archaeology and the Bible[4] (Philadelphia 1925) 452—457. H. Gressmann, ATAT[2] 25—28. F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible, Supplément I (ed. *L. Pirot*, Paris 1928) 824—828: Job et le juste souffrant.

Carmen quoddam Babylonium, quod ex parte cogitata libro Koheleth similia continet, de querimoniis hominis miseri nomine Balta-a(t)rua agit, qui patre et matre mortuis in egestate pie vivebat.[1] Similia cogitata atque Koh 9, 7—10 etiam in carmine epico, quod a Gilgameš vocatur, invenimus. Ibi (tab. 10) Siduri-Sabîtu dea Gilgameš ad Ut-na-pištim auctorem generis sui eunti, ut vitam aeter-

nam quaerat, dicit, ne se eam reperturum speret, atque ipsa ei haec suadet: „Imple tu, Gilgameš, ventrem tuum, laetare dies noctesque! Cottidie dies laetos celebra, die noctuque sali atque exsulta! Vestis tua sit munda, caput lautum, aquâ ablutus es! Specta puerulum, qui te manu tenet! Mulier tua gaudeat amplexu tuo!“ (KAT 575).[2]

[1] E. Ebeling, Ein babylonischer Kohelet (Berliner Beiträge zur Keilschriftforschung I, 1. 1922). P. Dhorme, Ecclésiaste ou Job? (RB, XXXII, 1923, 5—27). A. Jeremias, Babylonische Dichtungen, Epen und Legenden 14s. (AO, XXV, 1) Leipzig 1926.

[2] Proverbia Babylonia in bibliotheca regis Assurbanipal inventa *St. Langdon* in American journal of semitic languages and literature XXVIII, 1912, 217—243 edidit et praecepta Babylonia in eadem bibliotheca inventa in Beiträge zur Assyriologie V, 557ss. edita sunt. De eorum cum vetere testamento rationibus videas *G. A. Barton,* Archaeology and the Bible[4] 466—469.

Th. J. Meek in JBL, XLIII, 1924, 245—252 textum quendam Akkadicum ab E. Ebeling editum, cui multa cum Cantico canticorum communia sunt, convertit: Duo homines (representing god and goddess) mutuo amore incensi atque inter se concupiscentes alter alterius venustatem et pulchritudinem corporis canendo praedicant.

Hîc ad quaestionem quoque, pertineantne *litterarum monumenta Aegyptiorum* ad textum veteris testamenti, breviter respondemus.

E. A. Wallis Budge papyrum quandam Aegyptiam, doctrinam Amen-em-ope, filii Ka-necht, quae ineunte primo a. Ch. n. millennio conscripta ad Hor-em-ma-cheru eius filium missa est, edidit.[1] Quae papyrus Thebis inventa et iam anno 1888 a museo Britannico comparata est. E. A. Wallis Budge existimat Amen-em-ope priore parte aetatis duodevicesimae domus regnatricis (1580—1350) vixisse idque ante Pharaonem Amenḥotep III (1411—1375). Quod propter papyri sermonem neoaegyptium probari non potest; nam is vicesimâ secundâ domo regnatrice (945—745) vix est serior, immo vero fortasse multo posterior. Doctrina Amen-em-ope de haud paucis rebus manifesto cum Prov 22, 17—23, 11 (excepto loco 22, 26s.) congruit idque non solum in cogitationibus explicandis, sed ex parte aliqua etiam in verbis. Atque ut Amen-em-ope doctrinam suam in triginta capita divisit, ita scriptor quoque „verborum sapientium“ Prov 22, 17—24, 22 post exordium 22, 17—21 triginta sententias profert, ut dubium non sit, quin doctrinam Amen-em-ope cognoverit cognitaque usus sit. Quod minime est mirum, quoniam Israelitis cum Aegyptiis magnum erat commercium. Imprimis autem sapientiam Aegyptiorum Israelitis ignotam non fuisse ex 1 Rg 5, 10 (Vulg. 4, 30) perspicimus: „Praecedebat sapientia

Salomonis sapientiam omnium orientalium et Aegyptiorum". Ut igitur Prov c. 30 („Verba Aguris, filii Jakeh", e tribu Ismaelitica Massa) et c. 31, 1—9 („Verba Lemuelis regis Massa, quibus erudivit eum mater sua") peregrinae sententiae inveniuntur, ita scriptor quoque „verborum sapientium" sententias et praecepta e libro quodam Aegyptio mutuatus est, sed ita, ut ea non simpliciter receperit, sed ingenio religionis Jahvae impleverit. Nam 22, 19 proverbia eo consilio se collegisse dicit, „ut in Jahve sit fiducia tua", et 23, 17 dilucide commonet, ut Jahve semper timeatur. Cum igitur animos ita vere excolere velit, ut praecipue Jahven colant, e doctrina Amen-em-ope, cui propositum est, ut minister aulicus instruatur, ea sola sumpsit, quae ad consilium suum idonea essent.[2]

[1] E. A. Wallis Budge, Facsimiles of Egyptian hieratic papyri in the British museum. Second series. London 1923. The teaching of Amen-em-apet. ib. 1924. H. Gressmann, Die neugefundene Lehre des Amen-em-ope und die vorexilische Spruchdichtung Israels (ZAW, N.F. I, 1924, 272—296. cf. ATAT² 38—46). J. Linder, Das Weisheitsbuch des Amen-em-ope und die „Sprüche von Weisen" Prov 22, 17—23, 11 (ZkTh, XLIX, 1925, 138—146). H. Wiesmann, Eine aegyptische Quelle der Sprüche Salomos? (BZ, XVII, 1925, 43—50). J. Theis, Die Lehre des Amen-em-ope eine aegyptische Quelle des biblischen Spruchbuches (Pastor bonus XXXVI, 1925, 256—269). H. O. Lange, Das Weisheitsbuch des Amen-em-ope aus dem Papyrus 10, 474 des British museum. Kopenhagen 1925. J. Döller, Das Buch der Sprüche und die Lehre des Amen-em-ope (Theologisch-praktische Quartalschrift LXXIX, 1926, 305—314). A. Mallon, La sagesse de l'égyptien Amen-em-opé et les Proverbes de Salomon (Biblica VIII, 1927, 3—30).

[2] Ceterum tales collectiones proverbiorum, quales proverbia biblica sunt, in Aegypto iam mature inveniuntur. Conferas „doctrinam Anii", ubi pater filium praeceptis erudit (A. Erman, Die Literatur der Aegypter 294—302. Leipzig 1923) et „institutionem Amenemhet I" (ib. 106—109), qui anno vicesimo regni sui Sesostridem I filium consortem regni ascivit atque regnare desiit. In illa institutione explicat, quam ob rem id fecerit (pro beneficiis sibi gratiam non relatam atque vitae suae insidias factas esse) atque filio varia praecepta et monita dat. — Verba: „Facere misericordiam et iudicium magis placet Jahvae quam victimae" (Prov 21, 3) in praeceptis sapientiae pro Meri-ka-rê, quae fortasse circa annum a. Ch. n. 2000 confecta sunt, inveniuntur: „Justitia animi magis placet deo quam sacrificium bovis ab homine iniusto oblatum" (ib. 118).*

7) Babylonii, cum universum in tres partes dividerent: *caelum* (aera et aethera), *terram, aquam* (*apsû* = aqua et sub terra et circum terram effusa), etiam deum caeli (Anu), deum terrae (Bêl), deum (sub-

* Videas P. Humbert, Recherches sur les sources égyptiennes de la littérature sapientiale d'Israel. Neuchâtel 1929.

terraneae) aquae (Ea) venerabantur, qui dii ceteros deos dignitate superabant. Quam divisionem universi Israelitae a Babyloniis recepisse dicuntur. Id ut demonstretur, locus Ex 20, 4 affertur, ubi Israelitae simulacrum ullius rei, sive sit in *caelo* sive in *terra* sive in *aqua sub terra,* facere vetantur. At cum verba „in aqua sub terra" nihil aliud significare videantur nisi oceanum, quem terram circumfluere et sub terra effusum esse cogitabant (*tehôm,* cf. Gn 7, 11; 49, 25; Dt 33, 13; Ps 24, 2), ex loco allato non efficitur Israelitas universum in caelum, terram, aquam divisisse.[1] Neque quod Israelitae ut Babylonii universum in tres illas partes, *caelum, terram, inferos* diviserunt (Ps 115, 15—17: „Benedicti estote vos a Jahve, qui creavit caelum et terram! *Caelum* est Jahvae caelum, *terram* vero hominibus concessit. Non mortui laudant Jahven, nec quicumque descenderunt in *loca silentia.*" cf. Jes 7, 11; Job 11, 8), id Israelitas non a Babyloniis recepisse statuendum est; nam idem apud alias quoque gentes antiquas, velut apud Graecos, reperimus.[2]

[1] Ceterum videas E. König, „Altorientalische Weltanschauung" und AT 7. 10—15.

[2] Etiam Aegyptii sibi persuaserunt mortuos in regno quodam inferno commorari (A. Wiedemann, Die Toten und ihre Reiche im Glauben der alten Aegypter 16 [AO, II, 2] Leipzig 1910. H. Kees, Totenglauben und Jenseitsvorstellungen der alten Aegypter. Grundlagen und Entwicklung bis zum Ende des Mittleren Reiches. Leipzig 1926).

P. Dhorme (Le séjour des morts chez les Babyloniens et les Hébreux. RB, N. S. IV, 1907, 59—78) Babyloniorum et Israelitarum de incolis inferni opinionibus comparatis inter utrasque similitudinem late patentem repperit.

8) Sunt, qui inter formam carminum Israelitarum et Babyloniorum similitudines intercedere demonstraverint atque Babyloniorum auctoritatem in ea re apud Israelitas permultum valuisse contenderint.

Videas P. Berger, Les origines babyloniennes de la poésie sacrée des Hébreux. Paris 1904.

a) Atque in carminibus Israelitarum *parallelismum sententiarum* sive *eurhythmiam idearum* invenimus, ex qua aliqua sententia non simpliciter proponitur, sed in suas partes distribuitur, quae sibi aequaliter respondent, ut Ps 8, 5; 19, 8—10; 20, 8—9; 94, 1—3; 113, 1—8; 114, 1—2. al.[1] Qui rhythmus sententiarum etiam in carminibus Babyloniorum occurrit. Velut in psalmo quodam paenitentiali dicitur: „Cibos non comedi, fletus erat recreatio mea; aquam non bibi, lacrimae erant potus meus".[2] Et alio loco scriptum legimus: „Peccatum (quod feci) ignoro; scelus, quod feci, ignoro; cibum mundum non edi,

aquam puram non bibi".[3] At ea re minime comprobatur illum rhythmum primum apud Babylonios exstitisse. Nam et fieri potest, ut variae gentes in eo suum quaeque ingenium secutae neque aliam imitatae sint. Et eius modi rhythmum etiam apud Aegyptios antiquos invenimus atque nonnulla carmina Aegyptia cum rhythmo illo innotuerunt, quae Israeliticis antiquiora sunt.[4] Nulla autem est gens praeter Israelitas, quae parallelismum sententiarum ita usurpaverit, ut eo proprietas totius eius poesis constitueretur.

[1] Videas E. König, Hebräische Rhythmik. Die Gesetze des alttestamentlichen Vers- und Strophenbaues 11—15. Halle a. d. S. 1914. *Ibn Ezra* († 1167) et *David Kimchi* († 1235) parallelismum membrorum „sensum duplicatum" nominant. *M. Flacius* (Illyricus, 1520—1575) in „Clavi scripturae sacrae" (1566) eum „repetitionem rhetoricam" vocat.

[2] H. Zimmern, Babylonische Busspalmen 34 (AB, VI) Leipzig 1885.

[3] H. Zimmern, Babylonische Hymnen und Gebete in Auswahl 23 (AO, VII, 3) Leipzig 1905. Conferas etiam A. H. Sayce, An Assyrian grammar for comparative purposes 172 s. London 1872.

[4] Exempla videas apud A. Wiedemann, Magie und Zauberei im alten Aegypten (AO, VI, 4. Leipzig 1905) 15 s, ubi in hymno quodam deo solis Râ dicato dicitur: „Tu enites iis (hominibus), tu eorum tristitiam abigis; tu occidis, ut eorum membra gaudio afficias." Atque A. Wiedemann (ib.) ingenue aperteque profitetur nonnulla enuntiata carminum Aegyptiorum, imprimis invocationum solis, carminibus Babyloniorum et Assyriorum haud immerito aequari, alia autem etiam cum versibus psalmorum Hebraicorum comparari posse. G. Ebers quoque in „Nord und Süd" I, 1 nonnulla exempla affert, ut: „Râ est validus, infirmi sunt impii; Râ est excelsus, humiles sunt impii". Conferas H. Brugsch, Grammaire hieroglyphique (London 1872) 97 ss. E. König, Stilistik, Rhetorik, Poetik in bezug auf die biblische Literatur komparativisch dargestellt (Leipzig 1900) 304—11. F. Schlegel (La foi du parallelisme en style chinois. Leiden 1896) apud Sinenses quoque parallelismum membrorum repperisse sibi videtur.

b) Ut apud Israelitas, ita apud Babylonios versus numerum quendam syllabarum continent, quarum una ut „arsis" accentu instructa est, reliquae ut „theses" eo carent. Velut in tabula quadam signis cuneiformibus novi regni Babyloniorum conscripta versus tribus lineis directis in quattuor partes divisi sunt, quibus quattuor versus membra distinguuntur. Praeterea ut in vetere testamento, ita in multis textibus cuneiformibus, qui ad religionem pertinent, complures versus (duo vel tres vel quinque) in stropham colliguntur, cuius finis lineâ significatur.

H. Zimmern anno 1893 cognovit artem metricam Babyloniorum certo quodam numero arsium constare, qui numerus caesurâ in binas partes dividatur atque crebro in disticha vel tristicha vel tetrasticha coniungatur (cf. ZA, VIII, 1893, 121—

124: Ein vorläufiges Wort über babylonische Metrik; X, 1895, 1—24: Weiteres zur babylonischen Metrik). Velut in carmine epico de creatione mundi scriptum legimus:

„Ne mutetur | quidquid creavero,
Neque rescindatur | verbum labii mei!“

Eandem formam metricam apud Israelitas quoque invenimus, velut Ps 89, 15:

„Justitiâ et iure | nititur thronus tuus,
Gratia et fides | praecedunt te.“

Cuius formae metricae cum in nonnullis quoque epistulis Amarna vestigia deprehendantur, sunt qui Cananaeos eam a Babyloniis et Israelitas a Cananaeis recepisse dixerint. Alii autem maiores Israelitarum eam in Babylonia ipsa cognovisse putant. Conferas F. Hommel, Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung 311 s.

c) Ut in vetere testamento, ita apud Babylonios *carmina lugubria* sive *elegias* invenimus.[1] Neque tamen dici potest formam carminum lugubrium Israelitarum (*kînâ* = cantus lugubris, lamentatio, Am 8, 10; Ez 2, 10), ubi longiorem versum semper brevior sequitur, idque secundum rationem 3 : 2 vel 4 : 2 vel 4 : 3, formâ carminum lugubrium Babyloniorum clariorem fieri; in omnibus autem, quae in talibus carminibus ad religionem pertinent, haec illis multo superantur.[2]

[1] In carminibus lugubribus Babyloniorum malum, quo homo affligitur, ad fascinationem, quae sine eius culpa in eum incidit, refertur, saepius autem ad peccatum aliquod ab eo commissum, propter quod ei dii irascuntur. Carmen igitur lugubre eo spectat, ut ira deorum avertatur iique rursus placentur.

[2] K. Budde, Das hebräische Klagelied (ZAW, II, 1882, 1—52).

d) In vetere testamento *carmina* inveniuntur, quae *alphabetica* vocantur, quia aut stichorum aut versuum litterae primae secundum alphabeti ordinem dispositae totam litterarum seriem exhibent.[1] Idem apud Babylonios invenimus.[2] At acrostichidis sive carminis alphabetici artificium apud alias quoque gentes, velut apud Samaritanos, Syros, Arabes, usitatum fuit.[3]

[1] G. Bickell in ZkTh, VI, 1882, 320 quindecim carmina alphabetica veteris testamenti enumerat.

[2] Exempli causâ hymnus aetatis regis Nebukadnezar II afferatur, qui quattuor strophis denûm versuum constat. Versus uniuscuiusque strophae ab eadem littera incipiunt. Quae quattuor litterae alia post aliam lectae vocabulum Nabû efficiunt. Videas M. Jastrow, Die Religion Babyloniens und Assyriens I (Giessen 1905) 510—512. H. Zimmern, Babylonische Hymnen und Gebete in Auswahl 8.

[3] J. G. Wenrich, De poeseos hebraicae atque arabicae origine, indole mutuoque consensu atque discrimine (Lipsiae 1843) 269: „In ampla illa proverbiorum arabicorum collectione, quae Meidanio debetur, omnes, quae eâdem litterâ incipiunt, sententiae compositae et secundum alphabeti ordinem dispositae habentur“. Cicero

De divinatione 2, 54 dicit versus Sibyllae litterarum ordinem prae se tulisse: „Non esse illud carmen furentis cum ipsum poema declarat . . . tum vero ea, quae ἀκροστιχίς dicitur, cum deinceps ex primis versuum litteris aliquid conectitur, ut in quibusdam Ennianis. Id certe magis est attenti animi quam furentis". In oraculis quoque Sibyllinis, quae nunc vocantur, acrostichon inest (8, 217—250).

e) In nonnullis carminibus Babyloniorum *eadem sententia saepius repetitur,* quod idem Ps 136 invenimus, ubi Jahve propter bonitatem, quam partim universitate rerum procreata, partim beneficiis in gentem Israeliticam collatis demonstravit, ita laudatur, ut post unamquamque laudem haec verba repetuntur: „Nam in aeternum manet gratia eius". Velut hymnus quidam ad deum Marduk honorandum compositus, qui ad ultimum diem festi anni novi destinatus est, quo Bêl-Marduk post „profectionem" in templum suum revertitur, ab his verbis incipit: „Domine, te aedem introeunte aedes tua (te gaudeat); venerande domine Marduk, te aedem introeunte aedes tua (te gaudeat) . . . quiesce, domine, quiesce, domine, aedes tua (te gaudeat); quiesce, domine (urbis) Babel, aedes tua (te gaudeat)."

Videas H. Zimmern, Babylonische Hymnen und Gebete in Auswahl 10.

f) Ut apud Israelitas, ita apud Babylonios quoque carmina, ubi primum quodque vocabulum singulorum versuum extremo antecedentis versus par est, invenimus. Velut in quodam de creatione mytho Babylonio (Cuneiform texts from Babylonian tablets in the British museum XVII, 50);

Ultu il Anun (ibnû šamû)
šamû ibnû irṣitum
iršitum ibnû nârê
nârê ibna rušumta
rušumtû ibnû tultu

Idem in nonnullos psalmos cadit, ut in Ps 121, ubi versus secundus ab extremo vocabulo versus primi incipit.

g) In poesi epica et dramatica Israelitas Babylonios imitatos esse effici non potest. Neque enim Babylonii aut tragoedias aut comoedias scripserunt; qui autem in libro Job atque imprimis in Cantico canticorum poemata dramatica agnoscenda esse censent, haud dubie errant. Et quod Israelitae in carminibus epicis Babyloniis inferiores sunt, eorum poesis vel pluris aestimanda est; nam carmina epica multis rebus fictis exornata sunt, cum in libris inspiratis fictioni locus non sit.

Quidquid autem simile inter Israelitarum et Babyloniorum formam carminum inventum est, ex cognatione linguarum eorum et ingenio omnium gentium orientis antiqui communi explicari potest neque necesse est eas similitudines eo referri, quod Babyloniorum auctoritas in ea re apud Israelitas valuerit.

Adnotatio. — Frd. Stummer in libro, qui inscribitur „Sumerisch-akkadische Parallelen zum Aufbau alttestamentlicher Psalmen" (Studien zur Geschichte und Kultur des Altertums XI, 1—2. Paderborn 1922), exquirit, quae ratio formae psalmorum veteris testamenti cum hymnis Babyloniorum intercedat. Multa in iis similia esse. Sed demonstrari non posse ullo psalmo hymnum Babylonium effingi. Atque omnino dubium esse, num auctores psalmorum, qui ante exsilium fuerunt, hymnos Babylonios cognoverint. Illas similitudines ita intellegi posse, ut forma, quae quin e litteris Babyloniorum manaverit, dubium non sit, voce tradita sit.

II

Ipsis iis et aliis multis, quae de rebus externis in cultu profano Babyloniorum et Israelitarum diversa sunt, verisimile non fit Israelitas, cum in terra Canaan sedes collocavissent, Cananaeis intercedentibus Babyloniorum opiniones religionis et formas cultus recepisse. Quod omnino falsum esse manifestum est,

1) si leges Mosis cum polytheismo Babyloniorum comparamus. Nam ne Israelitae fictorum deorum cultu polluerentur, Jahve eos gentilium deos colere gravissimis poenis vetuit neque ullum fere praeceptum in sacris veteris testamenti libris totiens repetitur quotiens de vitandis diis alienis. Iam in decalogo Israelitis praecipitur: *lô jihje le-kâ ʾelôhîm ʾaḥarîm ʿal-pânai* = Ne sit tibi deus alius super me i. e. praeter me (Ex 20, 3).* Quo mandato polylatria prohibetur et *monolatria,* i. e. ut Jahve solus colatur, exigitur[1]; nam verbis „sit tibi", etsi maxime agnitio mentis significatur, tamen etiam cultus, quem ea agnitio suâ naturâ exigit, intellegendus est. Ex monolatria vero mandata monotheismus facile proficiscitur. Nam secundum locum Ex 20, 5 Jahve cultores aliorum deorum pro hostibus habet eosque in tertiam et quartam generationem puniet. Jahve igitur cultum aliorum deorum contemptionem

* Verba *ʿal-pânai* non significant „coram me" (Vulg. Ex 20, 2) vel πρὸ προσώπου μου, „in conspectu meo" (LXX et Vulg. Dt 5, 7), sed πλὴν ἐμοῦ, praeter me" (LXX Ex 20, 3., item Onkelos, Peschittâ, Saʿadja Gaôn). Conferas Muhammedanorum professionem fidei: *lâ ilâha illa-llâh* = non est deus praeter deum.

sui esse iudicat, quod alii dii se nullo modo aequent neque omnino cultu divino digni sint. Qui si iis deberetur, iis a Jahve, quippe cum defensor iuris sit (cf. v. 14—17), non negaretur. Quae cum ita sint, ceteri dii secundum Jahvae sententiam non dii sunt, Jahve est unus verus deus; v. 2—6 ipse monotheismus praedicatur. Item Dt 4, 35. 39 sollemnem legimus monotheismi professionem: „Jahve ipse est deus *(hâ-'elôhîm)* in caelo superne et in terra inferne et non est alius praeter eum". Attende articulum ante *'elôhîm,* quo pronuntiatur Jahven esse τὸν θεόν i. e. unum deum, qui et in caelo et in tota terra regnat. Atque paulo ante mortem Moses populares vehementer admonuit, ut illud primum ac summum existimarent Jahven esse unum verum deum, cum clamavit: „Audi, Israel! Jahve (est) deus noster, Jahve (est) unus" (Dt 6, 4).[2] Quibus verbis exprimi Jahven unum esse deum ex eo ipso apparet, quod indicant, cur Jahve „ex toto animo" diligendus sit, de quo v. 5 agitur (cf. v. 13 et 10, 20). Atqui ex toto animo Jahve diligendus non est, nisi deus unus est. Quodsi duo dii constituuntur, ratio et aequitas suadent, ut animus inter eos dividatur. Ergo Moses verbis allatis contra polytheismum diserte inculcat monotheismum.[3] Illud quidem concedendum est vulgus Israelitarum non statim percepisse locis allatis de monotheismo agi et multifariam venerationi unius dei deditum fuisse neque negavisse deos quoque gentilium esse. At ut iudicium de arte cuiuslibet gentis ad artifices eius, non ad vulgus imperitum referas, ita religio quoque Mosaica, quae proprie vocatur, non vulgi Israelitici, sed ducum eius opinionibus, qui sibi persuaserant locis allatis de puro monotheismo agi, metiaris. Quare Israelitae semper unum deum legitime colebant, cum veneratio complurium deorum, quae quidem per totam eorum historiam deprehenditur, nunquam non defectio ab altiore illo religionis gradu existimaretur.[4]

[1] Monolatria cum henotheismo (vel kathenotheismo) confundenda non est. *Monolatria* enim cultus unius dei est, quamquam et alios deos esse non negatur. Nihil aliud igitur est nisi „monotheismus practicus", non „monotheismus absolutus". Nomen autem „monotheismi relativi", quod ad eam significandam a nonnullis usurpatur, vitandum est, quoniam contradictionem in adiecto continet. *Henotheismus* in eo positus est, quod modo hic, modo ille deus summus deus existimatur et colitur (A. Langhorst, Der Henotheismus. In „Stimmen aus Maria-Laach" XXX, 1886, 380—401). Conferas R. Kittel, Geschichte des Volkes Israel I[6] (Stuttgart-Gotha 1923) 454 s.

[2] Videas F. Perles, Was bedeutet יהוה אחד Dt 6, 4? (OLZ. XI, 1908, 537 s.).

[3] Religionem Israelitarum aetate Mosaica tantum monolatriam fuisse omnes fere critici scholae evolutionisticae docent; aetate demum prophetarum eos mono-

theismum professos esse. E. König quoque (Theologie des AT kritisch und vergleichend dargestellt[4] 88. Stuttgart 1923) in decalogo (Ex 20, 2 s.) tantum de monolatria agi dicit; sed falso deum religionis Mosaicae deum localem nominari, nam iam in antiquissimis fontibus caelum locum habitationis Jahvae appellari, cum quo loca, ubi apparet, confundenda non sint.

[4] Id quoque respiciendum est in libris veteris testamenti Babyloniorum deorum opinionem nunquam commemorari, immo vero, quae ibi scripta legimus, ei opinioni maxime contraria esse. Quod vel ex narratione Mosaica de procreatione universitatis rerum (Gn 1, 1—2, 4a) et Babyloniorum carmine epico de creatione mundi (*Enûma eliš*, KB, VI. 1, 2—39) comparatis atque ex generationibus deorum, quae ibi memorantur, apparet. Nusquam in vetere testamento mythos de Adapa (ib. 92—101 et XVII s.) vel de descensu deae Ištar ad inferos (ib. 80—91) vel de nuptiis deae Ereškigal et dei Nêrgal (ib. 74—79) vel de alicuius dei (Bêl?) certamine cum monstro *LAB-bu*, quod idem esse videtur ac *labbu* = leo (ib. 44—47)*, vel de septem daemonibus malis *(utukkê lemnûti)*** designari, quamquam negari non potest, tamen ab iis, qui Israelitas nonnullas opiniones ad religionem pertinentes a Babyloniis mutuatos esse sibi persuaserunt, plerumque non commemoratur. Etiam quod nonnulli viri docti dixerunt scriptores veteris testamenti mytho de Tammûz usos esse, id falsum esse demonstratum est. Atque quam alienus ab Israelitis polytheismus fuerit, inde perspicimus, quod Jahvae nullam deam adiungunt et vocabulo deae in lingua sua omnino carent, quamquam ex *'êl* (deus) facile *'êlâ* (dea) formari poterat.

Babylonii autem omnibus temporibus multorum deorum cultui dediti erant. Neque magni eorum reges (ut Ḫammurapi, qui tribus primis lineis codicis legum suarum Anu, Bêl, Ea eiusque filium Marduk commemorat) neque poetae (ut auctor carminis epici de creatione mundi) neque sacerdotes (ut Berosus, qui aequalis Alexandri Magni sacerdos dei Bêl Babylone fuit) monotheismum a nonnullis viris doctis recentioris aetatis Babyloniis attributum noverunt. Quare Israelitae suum dei intellectum a Babyloniis mutuari non potuerunt, quoniam id, quod religionis Israelitarum proprium est, monotheismum ethicum, ignorabant. Tantum doctrinae quaedam cum monotheismo cohaerentes in eorum religione reperiuntur***. Velut scholae sacerdotum Babylonio-

* Eius textus, qui e bibliotheca regis Assurbanipal profectus est, tantum reliquiae servatae sunt. In media eius parte aliquantum versuum (50?) prorsus deest. Ceterum nomen illius monstri *kalbu* (= canis) quoque vel *ribbu* (cf. רהב) legi potest. Conferas KAT 498.

** Furor daemonum malorum in textibus, qui verbis *utukkê lemnûti* significantur (quorum textuum tabulae quoque IV R 1—2. 5—6 sunt), sed et in aliis textibus Babyloniis describitur (KAT 459).

*** Ceterum apud omnes gentes vestigia, unde monotheismum primam fuisse religionem appareat, reperimus, id quod A. Lang (The making of religion.[2] London 1900) viros doctos graviter monuit. Neque quisquam adhuc e polytheismo monotheismum profectum esse demonstravit.

rum id agebant, ut certum quendam deum (velut Nannar urbis Ur, Marduk urbis Babel) diis praeficerent in eumque virtutes ceterorum deorum transferrent.

Atque unum deum ceteris superiorem existimatum et cultum esse (polytheismum monarchicum) iam antiquissimis temporibus apud Babylonios invenimus. Videas F. Thureau-Dangin, Die sumerischen und akkadischen Königsinschriften p. 100 (10, 12) *an lugal-dingir-ri-ne-ge* = Anu est rex deorum; p. 160 (3) *an lugal-kur-kur-ra* = Anu est rex terrarum; p. 14 (16, 21) *en-lil lugal an-ki-ka* = Enlil est rex caeli et terrae; p. 36 (n, 1, 1—4) *en-lil lugal kur-kur-ra ab-ba dingir* = Enlil est rex terrarum, pater deorum; p. 60 (3) *nin-ḫar-sag ama dingir-ri-ne-ra* = Nin-ḫar-sag est mater deorum; Ninni p. 160 (3) 220 (f, 2) *nin* = domina et p. 74 (c, 2) *nin kur-kur-ra* = domina terrarum atque Nin-lil, coniux dei En-lil, p. 160 (4) *nin-an-ki-ra* = domina caeli et terrae appellatur. In carmine epico de creatione mundi (H. Gressmann, ATAT² 108—129) Anšar est „dominus deorum" (tab. 2, 122) et ante eum Kingu (tab. 1, 157), quae dignitas postea in Marduk, filium Anšar, transfertur (tab. 4, 1 ss.). In EA 23, 26 Ištar „domina caeli" nominatur atque in longo quodam carmine adeo praedicatur, ut credas qui precetur, eam solam deam esse existimare. At in fine carminis dicitur: „Dii universitatis rerum tibi faveant! Dii magni animum tuum gaudio afficiant!" (A. Ungnad, Die Religion der Babylonier und Assyrer 178 [Religiöse Stimmen der Völker] Jena 1921). Falso igitur ob eam rem a nonnullis viris doctis (velut a S. Jampel, Vorgeschichte Israels und seiner Religion 61. Frankfurt a. M. 1913) henotheismus pro religione Babyloniorum habetur.

In psalmis paenitentialibus Babyloniorum saepe „dei ignoti" mentio fit. Inde effectum est Babylonios unum verum deum suspicatos esse eiusque revelationem exoptasse. At is „deus ignotus" semper unus quidam ex multis diis est, quem auctor psalmi, cum nesciat, in quem deum peccaverit, certiore nomine appellare non potest.

Adnotatio. — De opinione nonnullorum hominum eruditorum nomen Jahvae ex Babylonia originem ducere videas librum anno 1910 Oeniponte a me editum, qui inscriptus est „De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo" p. 81 s. Ceterum conferas etiam J. Lippl in „Theologisch-praktische Monats-Schrift" XIV, 1904, 435—450.

2) si leges Mosis cum divinatioe et artibus magicis, quae apud Babylonios maxime florebant — quod et vetere testamento (Jes 47, 9. 12 s; Dn 2, 2. 27. al.) et monumentis antiquis demonstratur — conferimus. Nam cum varia divinationis genera (velut ex cursu siderum, ex visceribus victimarum, ex aspectu nubium, ex volatu avium, ex aliis rebus, quae in natura rerum fiunt) et artes magicae apud Babylonios ad ipsum cultum divinum pertinerent[1], Nm 23, 23 scriptum legimus: „Nulla incantatio *(naḫaš)* in Jacob et nulla divinatio *(ḳesem)* in Israel" i. e. apud Israelitas, qui veram religionem Jahvae servant. Conferas etiam leges Ex 22, 17; Lv 19, 26. 31; 20, 6. 27; Dt 18, 10—12, ubi varia superstitionis genera cum fictorum deorum cultu arte

coniuncta severissime prohibentur.[2] Neque scriptores historiarum biblicarum divinationem vel artem magicam ab Israelitis exercitatam, cum de ea agunt, impugnare omiserunt. Prophetae vero aut de ea querebantur, ut Hosea: „Populus meus lignum suum *(ʿêṣô)* consulit et baculus eius annuntiat“ i. e. oraculum ei edit (4, 12), aut indignati interrogabant, num pro vivis mortui i. e. mortuorum umbrae consulerentur (Jes 8, 19), aut populum monebant, ut Jeremia: „Viam gentium ne discatis et a caeli signis ne formidetis, nam gentes ab illis formidant“ (10, 2). Vel poeta Job dicentem facit se neque solis lumen neque lunam pleno orbe incedentem (adorantem) spectasse neque stellas osculis iactis veneratum esse (31, 26 s.). Quare vaticinatio arsque magica apud Israelitas nunquam tantam obtinebant auctoritatem quantam apud Babylonios ceterasque gentes orientis antiqui. Imprimis respiciendum est astrologiam ne generum quidem divinationis, quibus antiqui Israelitae uti vetabantur, esse atque eos Jer 10, 2 demum moneri, ne ut ceterae gentes signis caeli expavescerent.[3]

[1] Šamaš erat deus sacerdotum vaticinandi peritorum *(bârû)*, qui ad eum artem suam referebant eumque deum tutelarem colebant (KAT 368). Originem autem suam vates Babyloniorum et Assyriorum ab Enmeduranki, rege quodam urbis Sippar, ab Anu aliisque diis summe dilecto, duxerunt. Quem olim a diis Šamaš et Rammân (Adad) omnia arcana artis vaticinandi didicisse. Quo facto ea in collegio sacerdotum vaticinantium a patribus filiis hereditate relicta esse.

Ceterum conferas L. W. King, Babylonian magic and sorcery. London 1896. C. Fossey, La magie assyrienne. Paris 1903. M. Jastrow, Die Religion Babyloniens und Assyriens (Giessen 1905—12) videas indicem s. v. Beschwörung et Zauberei. O. Weber, Dämonenbeschwörung bei den Babyloniern und Assyrern (AO, VII, 4) Leipzig 1906. A. Ungnad, Die Deutung der Zukunft bei den Babyloniern und Assyrern (AO, X, 3) ib. 1909. Die Religion der Babylonier und Assyrer 243—296: Zaubertexte.

Falso dictum est artem magicam in codice Ḫammurapi prohibitam esse. *E. Ebeling* quidem paragraphum secundam ita convertit: „Si vir alicui artem magicam crimini dederit“ etc (H. Gressmann, ATAT² 383). At ut vocabulum *abâru* in paragrapho prima non suam propriam vim habet, ita vocabulum *kišbu* quoque in paragrapho secunda generatim usurpatum sit necesse est. Nam si *kišbu* „arte magica“ redditur, paragraphus secunda paragraphis primae et tertiae parum accommodata est, quippe cum manifestum sit primis paragraphis de universis falsis criminibus et mendaciis, non de certo quodam falso crimine agi.

[2] Regem Saul, cum magos et hariolos expelleret (1 Sm 28, 3. 9), Mosis menti congruentem egisse etiam C. H. Cornill (in „The Monist“ 1910, 181) comprobat.

[3] Ex lege Mosaica ad voluntatem divinam explorandam nihil aliud adhibere licebat nisi sortem sacram (Urim et Tummim), quae tamen auctoritate prophetarum paulatim interiit. Complurium virorum doctorum sententia est eam non nisi usque

ad aedificationem templi primi permansisse, quod postea de responsis eâ impetratis nulla mentio fiat, sed prophetae tamquam extraordinarii voluntatis divinae interpretes surrexerint. Doctores autem Judaici id saltem pro certo habent post captivitatem Babyloniam oracula per Urim et Tummim non amplius reddita esse, quod etiam ex Esr 2, 63 = Neh 7, 65; 1 Mcc 4, 44—46 colligi posse videtur. Quod Josephus (Ant. Jud. 3, 8. 9) memoriae prodit id genus revelationum divinarum ducentis demum annis antequam librum suum conficeret, finem cepisse non est dignum, quod credatur. Neque ex Sir 45, 10 (12), ubi de fide responsorum per Urim et Tummim datorum agitur, colligi potest talia responsa tum edita esse. — 1 Sm 28, 6 praeter Urim (et Tummim) somniis quoque et prophetis deus uti dicitur, quibus patefaciat, quid vellet atque 2 Sm 5, 24 deus sonitu arborum Baka utitur, ut Israelitis indicet, quando hostes aggrediantur.

3) si respicimus Babyloniorum de moribus praecepta cum legibus a Mose de iis datis comparata multo esse inferiora. Quamquam concedendum est nonnulla Babyloniorum praecepta de vita humana maiora poscere, id quod ex tabulis Šurpu in bibliotheca regis Assurbanipal inventis[1] apparet, ubi praeter delicta ritualia (ut si quis sublatis manibus illotis per deum aliquem iuraverit, si quis in lecto exsecrati alicuius dormiverit, si quis in sella devoti alicuius sederit, si quis e patella exsecrati alicuius ederit, si quis e poculo exsecrati alicuius biberit) multa vitia ad mores pertinentia enumerantur, velut patrem et filium, matrem et filiam, socrum et nurum, fratres et amicos discordes reddere; captivum non dimittere, vinctum non solvere; patrem et matrem despicere, fratrem maiorem odisse, sorori maiori maledicere; falsâ trutinâ, falsis nummis uti; domum alterius pravo consilio intrare, uxori alterius appropinquare, sanguinem alterius effundere, vestem alterius rapere; alia in ore, alia in animo habere; innocentes persequi, expellere, perdere; urbi suae infamiam movere; alia eius modi. At si quis praecepta religionis Babyloniae et Mosaicae de moribus inter se comparat, is non singula praecepta eligere, sed praecepta universa considerare debet. Quod qui diligenter fecerit, profecto dicere non potest Babyloniorum de moribus praecepta ad ea, quae in vetere testamento de iis praecipiuntur, aspirare. Nam omnia decalogi de moribus praecepta e praecepto primo et secundo manant, quibus apud Babylonios nihil simile invenitur. Qua re eorum vis longe alia fit, quoniam qui ea violat, idem sanctam voluntatem dei violat, quo fit, ut praeceptis Babyloniorum ceterarumque gentium multo superiora sint.[2]

[1] Šurpu „concrematione" valet, quia plerumque imaginibus spirituum effascinantium concrematis id agebatur, ut effascinatio tolleretur. Videas H. Zimmern,

Die Beschwörungstafeln Šurpu. Beiträge zur Kenntnis der babylonischen Religion. Leipzig 1901. A. Ungnad, Die Religion der Babylonier und Assyrer 259—274.

[2] Quod Ex 20, 16 non dicitur: „Ne mendacium dicas", sed tantum: „Ne falsum testimonium perhibeas in alterutrum", legi veteris testamenti non crimini dandum est, quod mendacia faveat, cum apud Babylonios veritas postuletur (Frd. Delitzsch, Babel und Bibel. Schlußvortrag 20. Stuttgart 1905), quoniam decalogus tantum pessimi mendacii pro omnibus mendaciis mentionem facit. Ceterum Lv 19, 11 plane dicitur: „Non mentiemini!"

Dubium quidem non est, quin ut in vetere testamento, ita apud Babylonios quoque haud pauca cantica paenitentialia legamus, unde magna conscientia culpae in deos commissae magnumque desiderium eius culpae a se amovendae apparet.

Exemplo sit pars cantici cuiusdam in bibliotheca regis Assurbanipal inventi (IV R 10. cf. KAT 611 s. H. Zimmern, Babylonische Bußpsalmen 61—74):

„O domine, peccata mea multa sunt, magna mea delicta,
Mi deus, peccata mea multa sunt, magna mea delicta;
Mea dea, peccata mea multa sunt, magna mea delicta,
Deus, quem novi, non novi, peccata mea multa sunt, magna mea delicta.
Quod peccatum commisi, id non novi; quod delictum feci, id non novi.
Rem nefandam, de qua comedi, non novi; rem spurcam, in qua pedem posui, non novi.
Dominus irâ animi sui incensus me maligne aspexit.
Deus saevitiâ animi sui exardescens me inimice percussit;
Dea in me irata fuit, me aegroto parem reddidit.
Deus, quem novi, non novi, me pressit;
Dea, quam novi, non novi, me dolore affecit.
Ego auxilium quaesivi, sed nemo manum meam comprehendit;
Ego flevi, sed nemo ad latus meum adiit.
Ego clamores edo, sed nemo me audit;
Ego doloris plenus sum, dolore victus, non suspicio.
Ad deum meum misericordem me verto, magna voce imploro;
Pedes deae meae osculor, attingo.
Deum, quem novi, non novi, magna voce imploro.
Deam, quam novi, non novi, magna voce imploro.
O domine, servum tuum, noli eum deicere;
In aquas limi coniectus, comprehende eius manum!
Peccatum a me factum muta in bonum;
Scelus a me commissum ventus auferat!
Multa mea vitia discinde ut vestem!
Mi deus, licet peccata mea septies septem sint, solve peccata mea!
Mea dea, licet peccata mea septies septem sint, solve peccata mea!
Deus, quem novi, non novi, licet peccata mea septies septem sint, solve peccata mea;

Dea, quam novi, non novi, licet peccata mea septies septem sint, solve peccata mea!"

At hymnis illis Babyloniorum nequaquam conscientia culpae, quae ad mores pertineat, declaratur, sed ad quam culpam spectant, ea nihil aliud est nisi aut res omissa, quae ad honorem dei pertinuerit, aut res acta, quae alicui deo displicuerit. Hymni illi queruntur ea, quae peccatis efficiuntur, et precantur, ut peccatum tollatur, verum eam paenitentiam, quae cum cognitione peccatorum coniuncta et cui propositum sit mores vitamque emendare, ignorant.

J. Slabý (BZ, VIII, 1910, 236—247. 339—350) demonstrare studet etiam Babylonios antiquos ex animo paenitenti a deo offenso praeter liberationem a poena peccatorum deletionem quoque culpae peccatorum exspectavisse i. e. eos persuasum habuisse peccata re vera ignosci. Praeterea videas W. Caspari, Die Religion der assyrisch-babylonischen Bußpsalmen. Gütersloh 1903. H. Bahr, Die babylonischen Bußpsalmen und das AT. Leipzig 1903. J. Hehn, Sünde und Erlösung nach biblischer und babylonischer Anschauung. Leipzig 1904. A. Eberharter, Aus den babylonischen Bußgebeten und den biblischen Psalmen (ThQ, XCI, 1909, 1—20). F. Schollmeyer, Biblische und babylonische Sühne (Theologie und Glaube 1928, 608—617).

Ut mores alicuius gentis recte iudicentur, et ea, quae ab eius consiliis factisque non abhorrent, respicienda sunt. Atqui prostitutionem sacram evitare non pertinebat ad ea, quae Babylonii in moribus maxime expetebant. In CH § 178—182 de feminis, quae deorum servitio addictae pudicitiam prostituebant, ut de re, quam nemo miretur vel repudiet, agitur. Immo vero apud Babylonios lege statutum erat unamquamque feminam semel in vita honoris deae Mylitta sive Ištar causâ se prostituere debere, quem morem Herodotus (Hist. 1, 199) iuste indignatus αἴσχιστον τῶν νόμων vocat (cf. Strab. Geogr. 16, 20).[1] At in libris sacris mos religionis causâ stupra faciendi, qui in cultibus quoque Cananaeorum et apud Israelitas eorum imitatores saepius deprehenditur, gravissime prohibetur.[2] Quantopere vero gens Israelitica cognoverit ac perspexerit normam suorum morum finitimarum gentium superiorem esse ex Gn 34, 7 intellegimus, ubi stuprum per vim mulieri oblatum „scelus nefandum" *(nebâlâ)* in Israel vocatur, vel ex verbis Thamar, filiae David; „Noli, frater mi, opprimere me; neque enim hoc fas est in Israel" (2 Sm 13, 12). Conferas etiam verba Abraham Gn 22, 11: „Dixi (mecum i. e. cogitavi): Omnino non est timor dei (et propterea non boni mores sunt) in hoc loco." Nm 23, 9 verba Bileam: „Hic populus (Israeliticus) solus habitat et inter gentes non numeratur" i. e.

singularem condicionem in historia cultus humani obtinet. Praeterea videas Gn 39, 9; Ex 22, 16; Dt 22, 21; 27, 20—23; Jos 7, 15; Jdc 19, 24. 30; 20, 6. 10. Atque e gravibus criminibus, quae prophetae, imprimis Hosea et Jeremia, sacerdotibus inferunt, colligere possumus non eos peiores fuisse quam sacerdotes aliarum gentium, sed Israelitas meliores mores ab iis poposcisse quam alias gentes.[3] Ceterum ut in religione Israelitarum „religionem legitimam" a „religione populari", quae vocatur, discernimus, ita in iis, quae ad mores pertinent, leges veteris testamenti a factis populi vel singulorum hominum discernendae sunt. Lege quadam violata nondum demonstratur eam tempore quodam non fuisse. Quare ne facta quidem singulorum Israelitarum vel totius populi ad veteris testamenti doctrinam moralem constituendam adhibenda sunt.

[1] S. Landersdorfer (Die Kultur der Babylonier und Assyrier[2] 123 [Sammlung Kösel 61] Kempten-München 1925) contendit narrationem illam Herodoti Babyloniorum monumentis non modo non confirmatam, sed refutatam esse. Quod nullis argumentis demonstravit. Fortasse dicendum est ex illis litterarum monumentis effici non posse omnes feminas religionis causâ se prostituere debuisse. Neque in epistula Jeremiae (= Bar c. 6) v, 42 s. commune eius modi officium commemoratur (cf. W. Naumann, Untersuchungen über den apokryphen Jeremiasbrief 19—23 [25. BZAW] Giessen 1913).

Ceterum quibus moribus aliqua gens sit, ex iis quoque, quae diis suis attribuit, cognosci potest. Babylonii autem, ut Graeci, deos deasque similiter atque homines vivere putabant. Eorum dii deaeque morte quidem carent, sed libidinibus et delictis non vacant. In carmine epico de creatione mundi (tab. 3, 136) ii vino se complere dicuntur atque in carmine epico, quod a Gilgameš vocatur (tab. 6, 22—77), de amoribus foedis deae Ištar agitur (cf. verba valde turpia tab. 1. col. 3, 19—22. 40—42. col. 4, 6—23). Quamquam concedendum est Babyloniorum deos incolas Olympi gravitate ac dignitate superare.

[2] Conferas Lev 19, 29: „Ne prostituas filiam tuam, ut scortari eam facias", quae verba haud dubie ad feminas deae alicuius causâ libidinibus indulgentes spectant, quippe cum ex ipso legis textu evidenter pateat ea de sollemni aliqua filiae prostitutione, patre non annuente tantum, sed etiam cogente facta accipienda esse; a verisimilitudine enim prorsus abhorret patres filiarum pudori et honori adeo male consuluisse, ut eas deae alicui initiarent et opere quodam impuro eius gratiam filiabus conciliarent. — Dt 23, 18: „Ne sit scortum *(ḳedêšâ)* de filiabus Israel nec sit scortator *(ḳâdêš)* de filiis Israel", quae verba non de prostitutione vulgari, sed de prostitutione sacra accipienda sunt, quippe cum vocabulis *ḳâdêš* (proprie *sacer*) et *ḳedêšâ* (proprie *sacra*) in libris divinis non vulgaria prostibula, sed viri et feminae religionis causâ stupra facientes aut munia quaedam sacra in deorum templis et mysteriis obeuntes, ergo homines turpissimis flagitiis consecrati significentur. — 1 Rg 14, 24, ubi post alia incolarum regni Juda flagitia in deorum cultu perpetrata scriptor bibli-

cus memoriae prodit „scorta quoque mascula in terra fuisse“ i. e. homines, qui deorum honoris gratiâ foedo aliquo flagitio commaculaverunt (cf. 15, 12; 22, 47; 2 Rg 23, 7). — Legem autem Mosaicam et prophetas institutum hominum (virorum et mulierum) cultui obsceno dedicatorum semper ut rem nefandam gentilium vehementissime vituperasse facile intellegas, si religionem Babyloniorum cum Israelitarum compares. Nam Babylonii, cum naturam rerum venerarentur, differentiam generum etiam numini divino attribuebant, ut vel maximae morum violationes probari possent; Israelitae autem religionem Jahvae professi, cum a deo omnem generum differentiam segregarent, meliores mores observabant.

[3] Quod crebro dictum est in vetere testamento virum de coitu liberum ac solutum esse nisi si de alterius uxore agatur (Encyclopaedia biblica, 2946), id locis Job 31, 1 et Koh 9, 9 refutatur (cf. F. Böhl in „Bibliotheca sacra“ 1920, 188).

[4] W. S. Bruce, The ethics of the OT. Edinburgh 1895. H. G. Mitchell. The ethics of the OT (Handbooks of ethics and religion ed. by *S. Matthews*) Chicago 1912.

Adnotatio. — Quaesitum est, quo modo Israelitas moribus conspicuos esse affirmari possit, quippe qui ultionem sanguinis exercerent, cum in CH nullum eius vestigium inveniatur? Frd. Delitzsch (Zweiter Vortrag über Babel und Bibel 24. Stuttgart 1903) mirum esse dicit deum, cum suis digitis praeceptum illud „Non occides!“ tabulae lapideae inscripsisset, ultionem sanguinis sanxisse. At lex Mosaica ultionem sanguinis non sancit, sed tantum patitur diserteque praecipit, ut solus heres occisi ultionem sanguinis exsequatur idque postquam causa in iudicium venit. Ceterum lex Mosaica caedem consulto commissam a caede imprudenter facta (quae potius calamitas habenda est) discernens (Ex 21, 12. 14) homicidis invitis asyla sive urbes refugii assignavit.

4) a) Recentiore aetate multi viri docti opinionem angelorum (imprimis opinionem Cherubim, Seraphim, angelorum custodum, qui homines comitantur) Israelitas aetate exsilii a Babyloniis mutuatos esse existimaverunt. At quamquam constat opinionem angelorum et apud Babylonios et apud alias gentes orientis antiqui inveniri, tamen inde colligendum non est Israelitas eam tum a Babyloniis recepisse. Nam respiciendum est opinionem angelorum iam ineunte Israelitarum historia deprehendi. In qua re admonemus tantum de duobus angelis, quibuscum Jahve ad Abraham venit (Gn 18, 1 s. cf. 19, 1 ss.), et de scalis patriarchae Jacob, quibus angeli ascendebant et descendebant (Gn 28, 12). Neque illud quidem neglegendum est, quod quibus nominibus Babylonii angelos appellant *(anunnaki, igigi),* ea a lingua Hebraica prorsus abhorrent. Quae cum ita sint, Israelitas opinionem angelorum a Babyloniis mutuatos esse dici non potest. Item complures viri eruditi perperam contendunt Israelitas notionem potentiae deo adversae sive satanae temporibus exsilii de Tiâmat opinione recepisse, quippe cum Israelitarum opinio satanae iam iis temporibus, quae ex-

silium Babylonium antecedebant, vigeret (cf. Gn c. 3). Ceterum ne cogitari quidem potest gentem Israeliticam, cum in exsilio cultum Jahvae fideliter servaret atque ab omni religione cultuque gentilium se segregaret, doctrinam de angelis et daemonibus a gentilibus mutuatam esse neque prophetas id improbasse.

Plura de hac re videas in libro, qui inscriptus est „Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae", p. 74—77.

b) Saepe dictum est Israelitas, quae de orco cogitarent, a Babyloniis recepisse, quorum de eo opiniones imprimis in mytho de descensu deae Ištar ad inferos (KB, VI, 1. 80—91), in carmine epico, quod a Gilgameš vocatur (ib. 116—273), in mytho de nuptiis deae Ereškigal cum deo Nêrgal (ib. 74—79), sed aliis quoque locis litterarum Babyloniorum atque in imaginibus inveniuntur. Babyloniorum autem de orco opiniones cum Israelitarum si comparamus, pauca similia, multa dissimilia reperimus. Israelitae quidem non ut Babylonii putabant in orco esse dominum et dominam, flumen quoddam, aquas vitae et mortis, stirpem, qua vires iuventutis praeberentur, custodem quendam, praeterea esse insulam beatorum corporisque quasdam voluptates, ut quae in vetere testamento de orco docentur, Babyloniorum opinionibus fabulosis multo praestent. Quae autem de opinionibus orci Israelitis cum Babyloniis communia sunt, eius modi sunt, ut, cum minime Babyloniorum propria sint, sed etiam apud alias gentes (velut apud Aegyptios, Graecos, Romanos) inveniantur, reliquiae revelationis primae existimanda sint.

Nomen Hebraicum *še'ôl* pro inferno a nonnullis cum nomine Akkadico *šu'âlu* pro inferno componitur, quod tamen pro inferno vix usurpatur. Item dubia est comparatio vocabuli *še'ôl* cum vocabulo *šil(l)ân* i. e. sole occidente vel regione solis occidentis. Babylonii enim (ut Judaei posterioris aetatis, cf. Henoch 22, 1) putabant aditum inferni in occidentis regione esse. Conferas KAT 636.

c) Etiam ad Israelitarum de regno messiano opiniones Babyloniorum quasdam opiniones pertinuisse nonnulli viri docti recentioris aetatis comprobare studuerunt: doctrinam de Marduk, deo solis, qui tenebras hiemis superaret, aetate autem moreretur atque ad inferos delaberetur, ut postremo rursus surgeret, aliquam vim ad veteris testamenti notionem messiae habuisse; item opiniones de aetate infelici et aetate felici, de auctore salutis et de rebus salutem afferentibus, quae apud antiquos Babylonios pervulgatae erant. Cum autem similem spem aetatis felicis, quae aetatem infelicem exceptura sit, apud Aegyptios

quoque inveniamus (idque iam duobus vel tribus milibus annorum a. Ch. n.), alii Israelitarum de regno messiano opiniones ex Aegypto receptas esse existimant.

De qua re videas „Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositas“ p. 81—83.

5) Quod ad formas cultus attinet, ea neglegenda non sunt, quae in cultu divino ab Israelitis et Babyloniis exercitato prorsus dissimilia sunt. Quod ut nonnullis exemplis ostendatur, in Babyloniorum cultu multa simulacra deorum erant (KAT 515), Jahvae cultus sine simulacris exercebatur (Ex 20, 4a. 5 = Dt 5, 8. 9a). — Cum Israelitae tantum animalia domestica, quae magna cum industria humana alebantur et omnibus victum aliamque variam utilitatem praebebant (boves, oves capras, turtures, pullos columbarum) immolarent, Babylonii antilopes, vaccas feras etc sacrificabant (Encyclopaedia biblica, col. 4116). Pars victimae, quae in cultu Babylonio diis offerebatur, „pars dextra“ *(imittu)* i. e. clunis dexter (*šôḳ haj-jâmîn* Ex 29, 22; Lv 7, 32. 33; 9, 21 [cf. 10, 14s.]; Nm 18, 18) est, vix est umerus dexter. Semper fere iis lumbi *(ḥinṣâ)* quoque, caro assata vel subassata *(šumê)*, nonnunquam caro elixa vel cocta *(silḳu)* offerebantur (KAT 597s.). Secundum inscriptionem regis Nabû-abal-iddin (KB, III, 1, 180) sacerdotes Babyloniorum ex animalibus mactatis lumbos *(sûnu)*, pellem (*maškᵘ*, cf. Lv 7, 8. Jos. Ant. Jud. 3, 9. 1), clunem *(arkatu*, cf. Hebr. *jârêk)*, nervos *(buânê)*, dimidiam partem viscerum ventris *(mišil karši*, cf. Hebr. *kerês)*, dimidiam partem viscerum pectoris *(mišil ḳirbi*, cf. Hebr. *ḳereb)*, duos articulos *(ḳursinnu)*, ollam cum iure carnium *(me sêri)* recipiunt (KAT 598). Mel, cum apud Israelitas ab altari exclusum esset (Lv 2, 11). apud Babylonios pro materia sacrificiorum usurpabatur, nam in textibus ritualibus mel *(dišpu*, Hebr. *debaš)* et butyrum = lac spissatum *(ḫêmetu*, Hebr. *ḥem'â)* saepe commemorantur (KAT 599). Praeterea ad sacrificia incruenta lac (rarius), palmulae, caricae, oleum, ad libamina varia genera vini, potus inebrians *(šikaru*, Hebr. *šêkâr)*, liquida aqua fluminum vel fontium adhibebantur (KAT 599s.). Sacra crebro in tecto plano templi vel domus fiebant, quod sine dubio ita explicatur, ut, cum religio Babyloniorum praecipue religio astralis esset, sacra noctu coram astris, in quibus dii apparere existimabantur, fierent (2 Rg 23, 12; Jer 19, 13; 32, 29; Zeph 1, 5. KAT 601). Praeceptum legis Mosaiae de diversis hostiis principis et pauperis (Lv 5, 7. 11; 12, 8; 14, 21)

apud Babylonios contrarium est: nobilis *(rubû)* pullum columbae ad cinerem(?) redigat, pauper *(muškênu)* viscera(?) ovis comburat (KAT 598 s.). Praeterea apud Babylonios plures victimas feminini generis immolare fas esse videtur quam apud Israelitas. Id quoque manifestum est Mosis de sacris faciendis praecepta multo gravius in peccatis placandis versari quam praecepta Babyloniorum ceterarumque gentium orientis antiqui. „Anima carnis in sanguine est — inquit Jahve ore Mosis ad Israelitas — et ego dedi illum vobis super aram ad expiandas animas vestras; nam sanguis animam expiabit" (Lv 17, 11). Ab ara igitur expiatio proficiscitur (Jes 6, 6 s.). Ad propria sacrificia pro peccato et pro delicto instituenda, quae in cultu Mosaico invenimus, nulla alia religio orientis antiqui, quantum videmus, processit. — Vocabula quoque veteris testamenti, quae ad sacra facienda pertinent, si cum cultu Babyloniorum comparamus, multa diversa esse cognoscimus. Atque ipsa nomina sacrificiorum alia sunt apud Israelitas, alia apud Babylonios, et ubi idem nomen usurpatur, haud raro aliud significat. Velut vis vocabuli Hebraici *zebaḥ* est mactatio, sacrificium cruentum, cum Akkadicum *zîbu* sacrificium universum significet; praeterea raro usurpatur (v. c. V R 3, 112) atque verbum eiusdem radicis omnino usitatum non est. Quod autem vocabulum Hebraicum *ḳorbân* = sacrificium universum, quod nusquam legitur nisi in codice sacerdotali (Lv 2, 1. 4. 12. 16; 7, 13; 9, 7. 15. al.) et apud Ezechielem (40, 43), e lingua Akkadica assumptum esse dictum est, respiciendum est adhuc vocabulum Akkadicum *kurbânu (kirbannu),* quod donum valeat, reperiri non potuisse atque minime verisimile esse Ezechielem vocabulum artis Babyloniorum recepisse. — Mosis leges ad cibos pertinentes ut a Babyloniis receptae sint, fieri non potest, cum cibi, quos Babylonii non mundos existimabant, ab iis, qui Lv c. 11 et Dt 14, 3—21 enumerantur, diversi sint. Velut textus quidam cuneiformis piscem die nono mensis Jjjar, carnem suillam *(šêr šaḫê)* die tricesimo mensis Ab, carnem suillam et bubulam *(šêr alpi)* die vicesimo septimo mensis Tišri, palmulas die decimo mensis Marḥešvan edi vetat (Encyclopaedia biblica, col. 4123), cum pisces, qui pinnulas et squamas habent, et caro bubula apud Israelitas non inter cibos immundos numerarentur, carnem autem suillam edi nunquam fas esset (Lv 11, 7; Dt 14, 8). Die septimo mensis Tišri nefas erat carnem suillam edere, cum uxore coire, flumen transire, balneum intrare. Item die quinto eiusdem mensis nefas erat car nem suillam, carnem bubulam edere, ad uxorem accedere. Corpus

lavare die quoque sexto eiusdem mensis prohibitum erat (A. Jeremias, ATLAO³ 63 s.). Quae omnia cur praescripta sint, non accepimus.

Illud quidem concedendum est nos apud Israelitas haud paucas opiniones multaque instituta et vocabula ad cultum divinum pertinentia invenire, quae apud Babylonios quoque exstant. Atque ut Israelitae sacrificia „cibum Jahvae“ (*leḥem jahve* Lv 3, 11. 16) vel „cibum dei“ (*leḥem ʾelôhîm* Lv 21, 6. 8. 17. 21 s; 22, 25) esse existimabant. ita Babylonii sacrificia „cibum deorum“ *(naptanu ilâni)* esse sibi persuaserant, id quod ex multis locis textuum cuneiformium elucet (KAT 594 s.). — Opinio illa in vetere testamento clare expressa hostias loco hominum immolari ex inscriptionibus Babyloniis haud minus clare appareret (ib. 596 s.).[1] Atque sacrificanti manum in hostia ponendam esse, id quod Mosis disciplinâ sacrificandi praescribitur (Ex 29, 10. 15. 19; Lv 1, 4; 3, 2; 4, 15; 8, 14. al.), inter Babyloniorum quoque ritus commemorari verisimile est (KAT 598). — Ut victima sine vitio *(šalmu)* sit, in Babyloniorum textibus ad sacra facienda pertinentibus pariter atque in lege Mosaica postulatur (Lv 22, 19—24; Dt 15, 21; 17, 1. cf. Mal 1, 8. 13. KAT 598). — Quod Lv 2, 13 et Ez 43, 24 carnem victimarum mactatarum sale spargi commemoratur, eundem morem in Babyloniorum quoque sacrificandi ritibus invenimus (KAT 598). — Etiam ex Babyloniorum textibus ritualibus duodecim vel ter duodeni panes *(akalu)* coram deo collocantur, quos ex minuta farina factos et suaves *(akal mutḳi)* i. e. fermentatos esse oportere traditur. Fieri quoque potest, ut ii panes coram deo impositi *akal-panu* i. e. panes faciei (= Hebr. *leḥem pânîm*) appellati sint (ib. 600. cf. etiam *kavvânîm* = liba, popana pro regina caeli = Ištar, Jer 7, 18; 44, 19). At respiciendum est panes propositionis non modo in codice sacerdotali, quem plurimi interpretes protestantium aetate demum exsilii Babylonii exstitisse falso iudicant, sed etiam alibi (ut 1 Sm 21, 5—7) iam Israelitarum antiquorum fuisse dici. Neque numerus duodenarius panum ad Babylonios referri potest; nam quid valeat, Israelitae iam antiquissimis temporibus cognoverant neque credibile est eos caerimonias idololatriae a se maxime contemptae imitatos esse. — Ut apud Israelitas, ita apud Babylonios quoque suffimentum *(ḳutrinnu, surḳînu,* Hebr. *ḳeṭôreth)* incendebatur (Ex 30, 1. 7. 34—36; Lv 4, 7; 10, 1. al. KAT 595. 600 s.). Babylonii autem pro suffimento lignis cedri et cupressi, similâ, „arundine“ (*ḳanû, ḳanû ṭâbu* = Hebr. *ḳâne haṭ-ṭôb* i. e. calamus aromaticus et odoratus), myrrhâ utebantur. Tus aut ignorasse aut non ad-

hibuisse videntur. — Apud Babylonios quoque subtilia praecepta exstabant ad eos pertinentia, qui ad munera sacra peragenda admittebantur. Quae praeceptis Lv 21, 17—21 datis simillima sunt. Quamquam autem tantummodo certum quendam ordinem sacerdotum i. e. sacerdotes vaticinantes *(bârûti)* attingunt, tamen putari licet de ceteris quoque sacerdotum ordinibus similia praecepta data fuisse (KAT 589). — Ut apud Israelitas (Ex 28, 42; 39, 28; Lv 6, 3; 16, 4. 23. 32. cf. 1 Sm 2, 18; 22, 18; 2 Sm 6, 14), ita apud Babylonios quoque vestis sacerdotum ex linteo *(kitû)* confecta erat, nisi quod in sacrificiis piacularibus sacerdos vestem rubram *(sâmu)* gestabat (KAT 591). — Ut Israelitae, ita Babylonii quoque formulam loquendi „faciem dei videre" (= in templo esse) usurpabant (Ex 23, 15. 17; 34, 23 s; Dt 16, 16; 31, 11; 1 Sm 1, 22; Jes 1, 12; Ps 42, 3; KAT 442. n. 1). Orta est ex consuetudine illa, ex qua qui precabatur ante dei simulacrum vel stabat vel genibus nitebatur, ut proprie (apud Babylonios, qui cultum coram dei simulacro exercitabant) „dei simulacrum intueri", translate (apud Israelitas, qui nullam imaginem dei habebant) „a deo gratiam et opem expetere" significet.[2] — Inter ritus lugubres et piaculares Babyloniorum, ut in vetere testamento, commemorantur vestem discindere *(šarâṭu)*; vestem lugubrem aut piacularem *(šakḳu* [cfr. Hebr. *saḳ*], *karru, šaḫḫû, bašâmu)* induere; coxas, pectus etc plangere *(maḫâṣu, šabâṭu)*; corpus mutilare, barbam vellere etc. Item verbo Hebraico *sâphad* (= percussit, planxit) simile in lingua Akkadica exstat: *sapâdu, sipdu, sipittu* (KAT 603 s.). — Verbum Akkadicum *zarâḳu* Hebraico *zârak* = sparsit (aquam etc) in cultu. Vocabula Akkadica ad lustrationem sacram pertinentia *ḳuddušu* (inf. Pi'el) = purgare, consecrare, sanctificare et *ḳuddušu* (adiect. verb.) = splendidus, purus, consecratus, sanctus[3] Hebraicis *ḳiddaš* et *ḳâdôš* cognata sunt. Fortasse etiam verbum Akkadicum *salâḫu (šalâḫu)* = aspergere, conspergere purgationis causâ, quae ad cultum pertinet, idem est quod Hebraicum *sâlaḥ* = condonavit (peccatum). Alia quoque vocabula Hebraica ad cultum pertinentia cum Akkadicis congruunt, velut *kôhên* = sacerdos cum Akk. *muškînu* (ex *muškahînu*) = adorans, deum colens; *terûmâh* = sacrificium elevando consecratum cum Akk. *tarîmtu* = patera sacrificalis; *tôrâh* = lex, praeceptum cum Akk. *urtu* et *têrtu*. — Qui mortuos aut immundos rebus, quae ad genitalia spectant, tetigerat, ipse et apud Israelitas et apud Babylonios immundus habebatur (cf. IV R 26, 5). Secundum ritum Babylonium avem aliquam immunditiam auferre oportet (IV R 4, 2b; 59, 2, rs 14); item

Lv 14, 7. Lex Mosaica de leprosis sanatis mundandis (Lv c. 14) ex parte cum ritu Babylonio congruit; nam ille quoque praescribit, ut lignum cedrinum, lana, herba hyssopi, aspersio septies facta, mactatio agni adhibeantur. — Apud Israelitas die expiationis hircus peccatis populi onustus in desertum mittitur (Lv 16, 21); apud Babylonios desertum *ašru ellu* = locus purus appellatur (IV R 8, 43b et saepius), quibus verbis tristitia vocabuli deserti, ubi daemones versantur, mitigatur. Ceterum cum legibus de die expiationis ritus a Babyloniis primo incipientis anni die exercitatus comparandus est: In templo dei Nabû purgando arieti caput decidebatur. Trunco autem corpore arietis sacerdos *(ašîpu)* obsecrationes recitans templum illinebat, quo facto arietis corpus in flumen iaciebat, ipse autem in desertum exibat. Caput quoque arietis et is, qui id deciderat, in flumen iaciebantur.[4]

[1] Conferas IV R 26, 6: „Agnum, qui pro homine mutatur, agnum (sacerdos sacrum faciens) pro eius vita reddit; caput agni pro capite hominis reddit; cervices agni pro cervicibus hominis reddit; pectus agni pro pectore hominis reddit". In foedere inter Assurnirâri et Mati'ilu inito (F. E. Peiser, Studien zur orientalischen Altertumskunde II, 228ss. [MVAG, III, 6] Leipzig 1898) de sacrificio vervecis agitur; verveci mactato eiusque singulis corporis partibus is, qui foedus rumpet, eiusque singula corporis membra significantur: „Hoc caput non vervecis caput est; caput Mati'ilu est, caput filiorum eius, procerum eius, incolarum terrae eius. Si Mati'ilu haec iuraiuranda (non servaverit), ut caput huius vervecis deciditur, . . . ita caput Mati'ilu decidetur" etc. In textibus Neobabylonicis de *alap taptiri* = tauro liberationis (?) sermo est; cf. Lv 4, 3.

[2] Conferas Frd. Nötscher, „Das Angesicht Gottes schauen" nach biblischer und babylonischer Auffassung. Würzburg 1924.

[3] Ita H. Zimmern, Akkadische Fremdwörter als Beweis für babylonischen Kultureinfluß[2] 66. Leipzig 1917 (KAT 603). At ex mea opinione prima vis vocabuli *ḳuddušu* nequaquam „splendidus, purus" est, quoniam *ḳadištu* = Hebr. *ḳedêšâ* (i. e. femina cultui obsceno consecrata) pura existimata esse non potest.

[4] H. Zimmern, Das babylonische Neujahrsfest (AO, XXV, 3) Leipzig 1926. — Ut supra p. 59 diximus, inscriptione quadam anno 1904 inventâ atque a Th. G. Pinches editâ (Proceedings of the society of biblical archaeology XXVI, 1904, 51—56) demonstratum est *sabbato,* quod Israelitae septimo quoque die celebrabant, apud Babylonios ita tantum simile aliquid fuisse, ut dies plenae lunae sive dies quintus decimus uniuscuiusque mensis nomine *šab(p)attu* significaretur, quo tamen negotia obibantur vel res contrahebantur (H. Zimmern in ZDMG, LVIII, 1904, 200. 458s.). — Nonnulli viri docti festum paschatis Israelitarum nihil aliud nisi festum a Babyloniis receptum esse existimant. In inscriptionibus enim Babyloniorum ritum quendam expiationis in domo regia perfectum commemorari, ex quo limina supera et postes portae domus regiae sanguine agni illinebantur. Qua re nos de festo paschatis ab Israelitis in Aegypto commorantibus celebrato admoneri (Ex 12, 22), et cum in lingua Akkadica verbum

pašâḫu „placari“ valeat (KAT 610), festum paschatis initio ritum expiationis fuisse atque aetatis Mosen antecedentis esse, quia apud Babylonios inveniatur. At Hebraicum *pesaḥ* ab Akkadico *pašâḫu* prorsus discrepat et festum paschatis ab Israelitis in Palaestina celebratum ab eo, quod Ex c. 12 describitur, multum distat. Ritus sanguinis aspergendi in Palaestina nunquam exercitatus est, ut eo demonstrari non possit festum paschatis ex Babylonia receptum esse.

Quae omnia aliaque multa, quae in cultu divino et Israelitarum et Babyloniorum inveniuntur[1], mira esse non possunt. Nam nonnulla eorum ipsa propinqua cognatione earum gentium earumque linguarum explicantur et argumento sunt formis cultus gentium Semiticarum multifariam easdem opiniones religionis subesse; alia autem, quae etiam in religionibus gentium non Semiticarum invenimus, ex religione prima omnium hominum communi repetenda esse videntur. Quare talibus similitudinibus comprobari non potest quasdam leges cultus Mosaici a Babyloniis assumptas esse[2], id quod imprimis ii viri docti recentioris aetatis existimant, qui codicem sacerdotalem aetate exsilii Babylonii ortum esse contendunt.

[1] Plura vestigia religionis Babyloniorum, quae haud pauci viri docti in legibus cultus Mosaici repperisse sibi videntur, praeter KAT 588—604 invenias apud P. Haupt, The origin of the Mosaic ceremonial (John's Hopkins university circulars XIX, nr. 145. Baltimore 1900) et Babylonian elements in the Levitic ritual (JBL, XIX, 1900, 55—81), G. A. Barton, A comparison of some features of Hebrew and Babylonian ritual (ib. XLVI, 1927, 79—89), A. Jeremias, ATLAO[3] 375—380. Conferas etiam J. Jeremias, Die Kulturtafel von Sippar*. Leipzig 1889. R. Frankh, Zur Frage nach dem Einfluß des Babylonisch-Assyrischen auf die religiöse Terminologie der Hebräer. Eine kritische Untersuchung zu 35 alttestamentlichen Hauptbegriffen (Diss.) Göttingen 1908. F. Thureau-Dangin, Rituels accadiens. Paris 1921. R. W. Roger, Cuneiform parallels to the Old Testament.[2] New York 1926.

Codex Ḫammurapi nulla praecepta ad culum divinum pertinentia continet. Idem in librum legis Hethaeorum, Assyriorum antiquorum, Pharaonis Haremheb cadit. Nam praecepta de sacrificiis, diebus festis, divinatione, aliis eius modi rebus apud gentes antiquas propria pars litterarum erant. Avesta quidem, cuius primus textus periit, quoad e reliquiis colligere possumus, nullas leges profanas continuit. Hodie Videvdat (pro quo antea Vendidad legebatur) sive tertia pars Avestae nihil aliud nisi praecepta liturgica de munditia continet. Opus demum Indicum Mânavadharmaśâstra, quod ineunte aera Christiana conscriptum est, praecepta et religiosa et profana comprehendit.

[2] Item J. Barth (Babel und israelitisches Religionswesen. Berlin 1902) instituta cultus Israelitarum ex Babyloniis pendere demonstrari posse negat. J. Köberle

* Videas V R 60 et 61. F. E. Peiser in KB, III, 1, 174—183. P. Dhorme, Choix de textes religieux assyro-babyloniens (Études bibliques) nr. XXII. Paris 1907.

(Babylonische Kultur und biblische Religion. München 1903) ostendit proprietatem religionis Israelitarum imprimis inde apparere, quod effectus religionis Babyloniae impugnet. J. M. Powis Smith (The American journal of theology XVI, 1912) ad similitudines, quae religioni Israelitarum cum Babyloniorum intercedunt, explicandas panbabylonismo opus non esse plane agnoscit.

Hîc quaerenti quoque, *auctoritasne Aegyptiorum in religione veteris testamenti aliquid valuerit,* breviter respondemus: Tempus erat, cum haud paucae opiniones et formae cultus religionis Israelitarum ab Aegyptiis petitae esse existimarentur. Quod ut probaretur, Mosen apud Aegyptios eruditum esse eorumque cultum penitus cognovisse atque Israelitas diu in Aegypto commoratos esse afferri poterat. At auctoritatem Aegyptiorum ad religionem Israelitarum pertinuisse is tantum dicere potest, qui animum induxit, quaecunque similitudo opinionibus religionis et formis cultus ab Israelitis exercitati cum Aegyptiorum intercedere videtur, pro argumento habere. Quas similitudines re vera parvi esse momenti vel ex eo manifestum est, quod alii, qui instituta religionis Jahvae ad gentiles referunt, ea ab alia gente ducere conabantur. Neque ex eo, quod Moses cultum Aegyptiorum cognovit, colligi potest eum quosdam ritus sacros ab Aegyptiis recepisse. Atque si Mosis erat Israelitas ex Aegypto educere, ne in Aegyptiorum idololatriam inciderent, certe instituta religionis Aegyptiae in cultum suae gentis recipere non potuit; immo vero nonnullas consuetudines ab Israelitis in Aegypto observatas ob id reiecisse existimandus est. Accedit, ut, cum nulla gens opiniones et instituta religionis alterius gentis eo tempore recipiat, quo eam gentem eiusque deos suo deo cedere videat, minime verisimile sit Mosen quaedam ab Aegyptiis mutuatum esse. Neque Jahven sub imagine vituli ab Israelitis cultum esse nisi e diuturna eorum commoratione in Aegypto explicari concedendum est. Nam si respicimus taurum propter robur et utilitatem imaginem dei toto oriente late diffusam fuisse, magis adducimur, ut credamus Israelitas illum morem orientis secutos eam imaginem indifferentem symbolum Jahvae elegisse. Quae cum ita sint, auctoritatem Aegyptiorum ad religionem gentis a deo electae multum pertinuisse dici non potest. Opinio autem illa in cultu Mosaico nulla vestigia rituum et institutorum religionis Aegyptiae reperiri probanda vix est.

Haud dubie iudicari potest linguam Aegyptiorum ad linguam Israelitarum in terra Gosen commorantium aliquid pertinuisse. Nam quod in codice sacerdotali, qui maximam partem leges cultus continet, haud pauca vocabula, quae originis Aegyptiae sunt, invenimus, id vix explicatur, nisi commoratio in Aegypto ad Mosen eiusque

leges pertinuit. Inter ea vocabula numeranda sunt *šetî* = stamen telae, quod ab Aeg. *st'* = nere ducendum est; nomina gemmarum *'aḥlâmâ* = Aeg. *ḫnmt*, postea fortasse *eḫnome* (iaspis vel amethystus) et *lešem* = Aeg. *nšm* (hyacinthus vel opalus); nomina mensurarum *hîn* = Aeg. *h'n(w)* = olla, deinde = mensura, *'êphâ* = Aeg. *'pt*, *zeret* = Aeg. *ṣrt* = manus cava, non = manus; deinde complura alia vocabula, in quo numero *pesaḥ* quoque est, quod cum Aegyptio *pe-saḫa'* (= Germ. das Sich-erinnern) cohaeret. — Conferas G. Karlberg, Über die ägyptischen Wörter im Alten Testament. Upsala 1912.

6) Accedit, quod Israelitae cultu Jahvae, cum eo factum esset, ut sui iuris essent ac suos mores et disciplinam sequerentur, gloriari soliti sunt. Quod iam e carmine Debora (Jdc c. 5) perspicimus*; nam ibi Jahve haud minus quater decies nominatur et invocatur idque ita, ut haud dubie solus dominus et deus Israelitarum existimetur. Ei Debora carmen cantat (v. 3), eum ut praedicent, omnes cohortatur, qui eam, ut cum Cananaeis pugnarent, secuti sunt (v. 9). Ei pugnae interesse nihil aliud est nisi Jahvae auxilio venire (v. 23); nam Israelitarum inimici sunt Jahvae inimici (v. 31) ideoque incolis urbis Meroz (probabiliter Chirbet Mârûs circiter 8 km a Ṣafed orientem versus sita) a Jahve maledicitur, „quod non venerunt ad auxilium Jahvae“ (i. e. quod exercitui populi, qui Jahven colit, opem non tulerunt), „ad auxilium eius cum fortibus“ (i. e. militibus, qui pro libertate pugnaverunt) (v. 23). Contra Israelitae populus Jahvae sunt (v. 11), qui Jahven diligit (v. 31), et Jahve est deus Israelitarum (v. 3. 5), qui populo suo succurrit eiusque hostes tempestatibus terribilibus perterret (v. 4s). Ideoque Israelitae iam tum, cum id carmen compositum est, „inter canales (*mašabbîm* apud fontes, quo pecus ad bibendum ducitur, in officiis igitur cottidianis)[1] iustitias Jahvae (i. e. iusta eius facta, quibus hostes prostravit et gentem suam a tyrannis iniuste oppressam liberavit), iustitias (Jahvae erga) duces eius in Israel (i. e. quod iustitiam suam ostendit ducibus Israelitarum adiutis, qui duces Jahvae vocantur, quia Jahve iis ad consilia sua de Israelitis liberandis exsequenda usus est) celebrare“ soliti sunt (v. 11).[2] Atque Jahve, „deus ex terra Aegypti“ (Hos 12, 10), erat praesidium ab omnibus summe celebratum, qui religionem patriam sequebantur. Quam ob rem credibile non est Israelitas opiniones religionis et formas cultus Babyloniorum cum suis miscuisse.[3]

[1] Vocabulum *mašâb* (a *šâab* = hausit aquam) canalem, in quem aqua hauritur, significat. Aquationes igitur pecoris, quo multi homines conveniunt, intellegendae sunt.

* C. Bruston, Le cantique de Débora. Montauban 1902. V. Zapletal, Das Deboralied. Freiburg (Schweiz) 1905.

[2] Conferas etiam clamorem bellicum: „Pro Jahve et Gideon!“ sc. pugnaturi sumus (Jdc 7, 18).

[3] E. König, Theologie des AT[4] (Stuttgart 1923) 96.

Neque neglegendum est, quod Israelitae in terram Canaan immigrantes maxime id agebant, ut eam terram expugnarent. Quamquam igitur haud negamus eos Babyloniorum cultum humanum civilemque, qui ibi plus minus florebat, prorsus evitare non potuisse, tamen Babyloniorum auctoritas propterea haud magnopere ad Israelitarum religionem pertinuisse existimanda est, quia ne illud quidem demonstratum est Cananaeos ipsos in cultu divino Babylonios secutos esse.

Denique hoc quoque respiciendum esse censemus: Quamquam Babyloniorum auctoritas apud omnes gentes Asiae anterioris multum valuit, tamen existimandum est fieri potuisse, ut Israelitae magnam partem ab eorum cultu atque humanitate intacti manerent, etiamsi nulla argumenta eius rei exstarent. Quod Rechabitae demonstrant, qui mediis in Israelitis habitantes tamen praecepta maiorum suorum, ne domos aedificarent neve vineas consererent, per saecula diligenter observaverunt neque ullo modo induci potuerunt, ut ea violarent (Jer 35, 5—10).[1] Israelitae igitur nonne mediis in gentibus Asiae anterioris similem locum obtinere potuisse existimandi sunt atque Rechabitae mediis in Israelitis?[2]

[1] Rechabitae, a Rechab oriundi, erant alienigenae, non Israelitae, 1 Chr 2, 55 Kinaei appellantur. Jonadab, filius Rechab, ex iis religiosam quandam societatem fecit, fortasse ut Israelitarum studium in cultum dei Ba'al propensum impugnaret. Semper fideles cultores Jahvae permanserunt (2 Rg 10, 15 s.). Post exsilium Judaeis in moenibus Hierosolymorum restituendis adiuverunt (Neh 3, 14). Eadem vitae ratione, qua olim Rechabitae usi sunt, hodie quoque gens Arabica *el-Lijâthine*, quae circa Wâdi Mûsâ habitat, utitur. Ea, quamquam religionem Muhammedanam profitetur, tamen nonnullos mores Judaicos conservat. Quam a Rechabitis oriundam esse sine causa sunt qui putent.

[2] E. König, Babylonien und die Deutung des Alten Testaments 13.

Quare ita dicendum esse putamus: Quamquam Israelitae in nonnullis partibus cultus profani cum Babyloniis congruunt, tamen inde colligi non potest eos in ea re prorsus ex Babyloniis pependisse, quod eius modi similitudines etiam inter Israelitas et alias gentes orientis antiqui reperimus. Et quod in opinionibus institutisque ad religionem

pertinentibus nonnullae similitudines Israelitis cum Babyloniis intercedunt, id falso ita explicatur, ut Israelitae in ea re auctoritatem Babyloniorum secuti sint. Eae similitudines potius partim ad religionem omnium hominum communem i. e. ad religionem primam, partim ad opiniones religionis ritusque sacros omnium gentium Asiae anterioris communes revocandae sunt, ut ad eas explicandas neque ulla mutuatione neque panbabylonismo, qui vocatur, opus sit.

Illud autem non negamus, ut si quis Babyloniorum religionem cum „religione populari" Israelitarum, quam vocant, comparat, eam illi aliqua ex parte similem reperiat. Quod nonnullis exemplis ostendatur: Ut apud Babylonios ex variis generibus vaticinationis astrologia et divinatio ex prodigiis, quae in rerum natura fiunt, maxime florebant, ita etiam in „religione populari" Israelitarum cultus sidereus et divinatio ex signis caelestibus, ex aspectu nubium aliisque ostentis in caelo animadversis in usu erant, quod ex sacris litteris apparet (cf. Lv 19, 26; Dt 4, 19; 17, 3; 18, 10; 2 Rg 17, 16; 21, 3. 5; 23, 5; 2 Chr 33, 6; Jer 7, 17 s; 10, 2; 44, 17—19. 25; Zeph 1, 5). Ut veneratio simulacrorum deorum ad religionem Babyloniorum pertinebat, ita etiam in „religione populari" Israelitarum reperimus non intellegi deum esse spiritum, quod simulacra eius fingebantur. „Homines (audite: homines ratione praediti!) vitulos osculantur", cavillatur Hosea 13, 2. Ut polytheismus religio publica Babyloniorum erat, ita studium plurium deorum colendorum etiam „religionis popularis" Israelitarum omnibus temporibus proprium est, id quod cum alii tum Elia (1 Rg 18, 18), Amos (2, 4), Jeremia (2, 10—13) acerrime queruntur.[1] Sed etiam inter „religionem popularem" Israelitarum et opiniones religionis Babyloniorum haud pauca intererant. Velut apud antiquos Israelitas haud multum aut nihil daemonologiae Babyloniorum reperimus.[2]

[1] Ceterum videas commentationem „De religione populari Israelitarum", quam anno 1927 Oeniponte edidi, et J. Barrelet, La religion de Babylone et la religion d'Israel (La revue de théologie et de philosophie XXXIX, 179—203).

[2] H. Duhm, Die bösen Geister im AT (Tübingen-Leipzig 1904) 33. — Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I[5], 45—47. Leipzig 1905) contendit opinionem daemonum, quam in sacris litteris invenimus, ex Babylonia sumptam esse et optat, ut daemones in noctem collium Babyloniorum, e quibus ascenderint, in aeternum relabantur. Ita etiam C. H. Cornill et alii. Quod omnino falsum esse censendum est. Nam omnes illae opiniones de daemonibus bonis et malis, quae litteris et monumentis Babyloniis memoriae traditae sunt, rebus phantasticis, mythicis, polytheisticis redundant, e quibus Israelitae naturali evolutione ad opinionem daemonum monotheisticam adspirare

non potuerunt. Si enim teste historia nulla ceterarum gentium, ne maxime excultarum quidem, ad monotheismum adspiravit, concludere necesse est etiam gentem Israeliticam minus excultam neque ad monotheismum pervenire neque mythos illos ethnicos de rebus polytheisticis naturali evolutione purgare et puro monotheismo imbuere potuisse. Si quis autem dicat sacros scriptores deo iuvante ex deturbatis Babyloniorum narrationibus puram de daemonibus opinionem elegisse et litteris consignasse, nihil contra dicendum, simul tamen respiciendum est, quae tali modo a sacris scriptoribus nobis proponuntur, a vero abhorrere non posse.

Quae cum ita sint, opinio illa incolas terrae Canaan solo fere Babyloniorum cultu atque humanitate ductos et rectos esse iam teneri ac defendi non potest. Neque enim si vera esset, intellegi posset Israelitas, non Babylonios tam sublimem religionem habuisse. Nam quamvis haud pauci viri docti maximam operam dederunt, ut talem religionem in Babylonia quoque et in Aegypto reperirent, tamen ea reperta non est. Ipsa autem religione Israelitae de universo genere hominum multo melius meriti sunt quam Babylonii et Aegyptii. Cui rei tamen non obstat, quin Babyloniorum auctoritatem Cananaeis intercedentibus ad antiquos Israelitas quidquam pertinuisse existimemus.

Index locorum ex sacris litteris allatorum

Hic tantum ii loci afferuntur, qui plus minusve explicati sunt

Gn 1, 11 ss. 57
2, 6 56
3, 14 55
6, 19 s. 57
7, 14 57
8, 22 63
11, 1—9 7. 11
14 48
14 53
22, 11 90
31, 47 s. 47
34, 7 90
Ex 12, 2 69 s.
13, 4 25
16, 15 52
20, 3 83
4 79
23, 16 63
32, 16 43
34, 22 63
Lv 19, 29 91
23, 24 s. 64
Nm 23, 9 90
23 86
29, 1—6 64
33, 12 s. 29
Dt 3, 11 44
6, 4 84
16, 1 25
23, 18 91
28, 49 53
Jos 7, 21 25
19, 6 27
Jdc 5, 101
12, 6 54
1 Sm 1, 20 s. 63
28, 6 88
2 Sm 5, 24 88
11, 1 70 s.
13, 12 90
1 Rg 6, 1. 37 s. 24. 60
8, 2 24. 60
14, 24 91 s.
16, 31 66
2 Rg 12, 18 71
18, 26 53
19, 29 71 s.
23, 23 65
25, 2—4 65
Jes 8, 1 43 s.
19 87
13, 10 72
14, 12 72
19, 18 51
28, 11 52
33, 19 52
36, 11 53
37, 30 71 s.
65, 11 72
Jer 5, 15 53
10, 2 87
25, 1 63
Jer 32, 14 33
35, 5—10 102
46, 2 63
52, 5—7 65
Ez 8, 14 61
16, 26 s. 28 s. 33
36, 22 67
40, 1 67
45, 18—20 69
Hos 4, 12 87
13, 2 103
Am 5, 8. 26 72
Sach 14, 8 63
Ps 74, 17 63
115, 15—17 79
Prov 22, 17—23, 11 77 s.
25, 1 58
Job 9, 9 72
26, 13 72
36, 27 57
38, 31 s. 72
Esr 2, 63 88
4, 7 59
7, 6 ss. 45 s.
Neh 1, 1 67 s.
2, 1 67 s.
7, 65 88
8, 8 58
13, 24 54
1 Chr 20, 1 71
2 Chr 24, 23 71
4 Esr 14, 42 46

Index nominum et rerum

A

Ābib, mensis 25
Aegyptii ab antiquissimis temporibus magnum commercium cum incolis Palaestinae habebant 26—30. eorum auctoritas ad profanum cultum Cananaeorum 30—32. ad religionem gentis a deo electae 100 s.
Aera Seleucidarum 68 s.
Aḫiami (= wi) 17
Aḥmes 27. 30
ʿAin Schems 4. 31
Akkadica lingua et scriptura cuneiformis etiam extra Babyloniam late patebat 12—15
Akkadii 14
Amen-em-ope 77 s.
Amenḥotep III. et IV. 10. 12 s.
Ammi-ditana 6
Amraphel 6
Amurru 7 s.
Angeli 92 s.
Annum Babylonii a vere, Israelitae ab autumno incipiebant 62—72
apsû 78
Araḫ-saṃna 62
ʾArâm 53
Arioch 6
Arzawa 13
ʿâš (ʿajiš) 72
ʾâsîph 70
ʾAššûr 53
Astarte 37 s.
Atanaḫili, sigillum 33. 35
Avesta 99

B

Babylonii universum in tres partes dividebant 78 s. eorum auctoritas in terris ab Euphrate occidentem versus sitis 5—11. polytheismus 83—86. divinatio et artes magicae 86—88. mores 88—92. opinio angelorum 92 s. opiniones de orco 93. spes aetatis felicis 93 s. formae cultus 94—100. daemonologia 103
Bastet 36
Bes 37
Bêsân 4, 31
Boghazköi 6
Bûl, mensis 24. 60

C

Cananaeorum lingua et scriptura 15—24. 51. nomina mensium 24 s.
Canticum canticorum 77
Cappadociae tabulae 13. 60
Carmen Debora 18. 101. carminum Israelitarum et Babyloniorum forma 79—83
Circumcisio 73
Codex Ḫammurapi 9 s. 74 s. 99
Cubiti Israelitarum origo 40 s.
Cultus Israelitarum et Babyloniorum formae 94—100. cultus Jahvae sub imagine vituli 100. cultus humani Aegyptiorum origo 2. cultus Mycenaeus (Aegaeus, Cretensis) 4. 33

Cylindrus signatorius Atanaḫili 33. 35. cylindri signatorii Babyloniorum 34

D

Daemonologia Babyloniorum 103 s.
Debora, canticum 18. 101
„Dei faciem intueri“ 97
Deorum simulacra in Palaestina inventa: originis Aegyptiae 36 s. originis Babyloniae 37 s.
„Deus ignotus“ 86
Dialecti linguae Hebraicae 54
Diversitates religionum Cananaeorum et Babyloniorum 38
Divinatio et artes magicae 86—88
„Doctrina Anii“ 78
Dôfḳâ 29
Dušratta 14
Du'uzu (Dûzi, Tammûz) 61

E

Epistulae Amarna 10. 15—17
'Ethânîm 24. 60
Ethba'al 66
Eurhythmia idearum 79

G

Glossae Canaanaeae epistularum Amarna 16 s.
Gudea 6. 8

H

Ḫabiru 3
ḥadrê têmân 72
Hammon 37. 39
Ḫammurapi 6. eius leges 9 s. 74 s. 99
Ḫâpi 36
Harris, papyrus magna 39
Hathôr 20. 36. 39
Ḫattušas 6
Hebdomas Israelitarum 60
hêlêl 72
Henotheismus 84
ḥereṭ'enôš 43 s.
Hethaei 3
Hierosolymorum excidium 67
Hilkija, liber ab eo in templo inventus 44 s.
Horus 36
Ḫuen-Aton 10
Ḫurri 14

I

ilâni Ḫabiri 3 s.
ilu Ḫabiru 4
Inscriptio Abiba'al 19. Aḥiram 20 s. Hadad 19. Kalumu 19. Meša 19 s. Panammû 19. Siloah 19. inscriptiones Arabiae meridianae 3. terrae Sam'al 19. Sinaiticae 20—22. 29. Thamudicae 21 s.
„Institutio Amenemhet I“ 78
Isis cum Horo 36
Ithobal 66

J

Job, lapis 28. 30. liber 76
Josia 28

K

Kahun 19
Kanûn 62
Karkemiš 28. 63
ḳâṣîr 70
Kassitae 12. 14
Kaššû 14
Kathenotheismus 84
kesîl 72
ketâb 'aššurît 49. 53
Kijjûn (Kevân) 72
kîmâ 72
ḳînâ 81
Kossaei 14
Kussu 14

L

Lapidationis poena 73
Lapis Job 28. 30
Leges civiles a Mose datae 74 s.
Lijathîne, gens Arabica 102
Lingua Cananaeorum 51. lingua Hebraica cum Akkadica comparata 52—58
Lugal-zaggisi 5

M

Magan 6
Martu 7 s.

maṣṣôth 70
Meluḫḫa 6
Mensium nomina 24s. 60—62
Meroz, urbs 101
Metallorum opera in paeninsula Sinaitica exercita 28s.
mfk't, lapis 29
miktab 'elôhîm 43
Mitanni 12. 14
Monolatria 83s.
Monotheismus Israelitarum 83s.
Mores Israelitarum et Babyloniorum 88—92
Mythus de Adapa 34s. de Adonide 35s. de nuptiis Ereškigal et Nêrgal 34s. de Tamûzu Babylonio 35

N

Nabonid 7
nâḫâš 72
Narâm-Sin 6
Narrationes ad antiquissima generis humani tempora pertinentes 73s.
Nebô 35
Nebukadnezar II. 28
Necho II, 28
Ninives excidium 30

O

Orcus 93
Osiris 36s.

P

Paeninsulam Sinaiticam Pharaones suam esse possessionem arbitrabantur 28s.
„Pallium Šin'âr" 25
Parallelismus sententiarum 79s.
Pascha Israelitarum 98s.
Pepi (Phiops) I. 27
pesaḫ 70
Polytheismus Babyloniorum 83—86
Praecepta sapientiae pro Meri-ka-rê 78
Prostitutio sacra 90—92
Proverbia (biblica, Aegyptia, Babylonia) 77s.
Psalmi paenitentiales Babyloniorum 86. 89s.
Ptaḫ 36

R

Ramses II. 3. 28. 31, III. 28. 39, XI. 22
Rechabitae 102
Regnum messianum 93
„Religio popularis" Israelitarum 103
Rîm-Sin 6

S

Sabbatum Israelitarum et Babyloniorum 59s. 98
Sachmet 36
Ṣarâbîṭ el-Ḫâdem 20. 28
Sargon 6s.
Saruhen 27. 30
Scarabaei, scarabaeoidae 31. 33s.
Scriptura Assyria 49. 53. scripturae Cananaeorum vetustas 19—23 scripturâ cuneiformi et linguâ Akkadicâ Israelitas per saecula usos esse falso contenditur 42—59
Sen (Qa'-Sen) 26
Sethos I. 28. 31
Sigilla Aegyptiorum 33s. Babyloniorum 34. sigillum Atanaḫili 33. 35
Simulacra deorum in Palaestina inventa 36—38
Sinuhe, narratio 29
Sisak 28
Snofru 26
Sobek 36
sôphêr 45s.
Stellarum nomina Hebraica 72
Šulgi 6

T

Tabellae emptionis in Tell Dschezer inventae 15. 23
Tabulae Amarna 12. 16s. 23. Cappadociae 13. 60. in Tell Ta'annek inventae 13. 15. 17.
Tašrit(u), mensis 62s.
tehôm 79
Tell el-Amarna 7. 10. Dschezer 15. 23. 29. 31s. 36s. 42. 61. 66. el-Ḥasî 13. 31. 36s. el-Ḥöṣn 31. el-Mutesellim 22. 31. 37. 40. eṣ-Ṣâfije 31. 37. Sebasṭije

19. 42. es-Sulṭân 31. 33. Ta'annek 13. 17. 25. 31. 33. 35. 37 s. 40. Zakarjâ 31.
„Terra occidentalis“ 7
Texta Babylonia 26
Thutmes III. 27. 30

U

Ur-Kasdim 41
Ur- Nammu 6
Usaphais 26

V, W

„Viri Hizkija regis“ 58 s.
Wen-Amon, narratio 22. 28

Z

Zagros 14
Zahi 39
Zimrida 13
Zîv, mensis 24. 60
Zoser 26

Addenda

Ad p. 22. l. 23. — J. B. Schaumberger, De Mosaicis, quae putabantur, inscripitionibus Sinaiticis (Verbum Domini IX, 1929, 90—96. 124—128. 153—155).

Ad p. 22. l. 29. — H. Grimme, Die altsinaitischen Buchstaben-Inschriften auf Grund einer Untersuchung der Originale herausgegeben und erklärt. Berlin 1929.

Ad p. 31. l. 29. — De effossionibus recentissime in Bêsân factis videas Biblica IX, 1928, 245—256 et RB, XXXVII, 1928, 123—138. — In Tell el-'Orême, in qua urbs Kinnereth sita erat, anno 1928 fragmentum statuae Pharaonis Thutmes III (1501—1448) inventum est. Ibidem iam anno 1905 scarabaeus reginae Teje, uxoris Amenḥotep III (1411—1375), cum inscriptione „*suteni hemté Ti*“ (= regia coniux Teje) effossus est. Ibidem testa quoque aetatis Pharaonis Ramses II (1292—1225) cum imagine cervi detecta est. Sine dubio est fragmentum arrectarii, quae plura in Bêsân effossa sunt. In quibus arrectariis paterae sacrificales, vino, oleo, floribus, herbis, imprimis ture impletae, ponebantur. Conferas A. E. Mader, Archäologisches vom Tell el-'Orême auf dem deutschen Besitz eṭ-Ṭabgha am See Genesareth (Das Heilige Land LXXIV, 1930, 24—47).

Ad p. 32. l. 12. — C. Watzinger, Tell el- Mutesellim. 2. Band: Die Funde. Leipzig 1929.

Ad p. 33. l. 12. — Sigillum Schema' in Tell el-Mutesellim inventum formâ Aegyptiâ est, sed leonem talem, qualem Babyloniorum artifices fingere solent, ostendit. Ante leonem et post leonem „signum vitae“ non incisum, sed colore illitum est.

Ad p. 56. l. 32. — F. Perles, Übersehendes akkadisches Sprachgut im AT (Journal of the society of oriental research IX, 126—128).

Ad p. 59. l. 27. — S. Grünberg, Die ursprüngliche Schrift des Pentateuch (Jeschurun XV, 1928, 630—646). Secundum H. Grimme (Die altsinaitischen Buchstaben-Inschriften 100 s.) lingua inscriptionum antiquarum Sinaiticarum in omnibus rebus magni momenti cum lingua Hebraica veteris testamenti congruit. Quod opinioni eorum repugnat, qui legem Mosaicam in Sinai datam propterea Hebraice conscriptam esse non posse putant, quod Israelitae post immigrationem in terram Canaan demum linguam Hebraicam receperint. Lingua autem Hebraica non eadem est atque lingua Canaanaea. „Glossae Canaanaeae“, quae in epistulis Amarna inveniuntur, maximam partem cum lingua Hebraica veteris testamenti non congruunt atque lingua inscriptionum Phoeniciarum ab ea vehementer abhorret. Cum circiter 1500 a. Ch. n. in paeninsula Sinaitica lingua Hebraica usurparetur eaque in inscriptione regis Meša nono saeculo orta inveniatur, probabile est Israelitas linguam Hebraicam in terram Canaan

introduxisse. Quibus vero litteris lex Mosaica scripta sit, in vetere testamento non dicitur. Nunc tamen existimes scripturam Sinaiticam adhibitam esse, quoniam cum scriptura Aegyptia haud dubie lingua Aegyptia et cum signis cuneiformibus lingua Akkadica coniuncta fuisset. Quae cum ita sint, quinto decimo a. Ch. n. saeculo lex Mosaica linguâ Hebraicâ pronuntiata et scripturâ Sinaiticâ consignata esse existimanda est.

Ad p. 78. l. 12. — Alii existimant scriptorem libri Proverbiorum doctrinam Amen-em-ope, si eâ usus esset, magis in rem suam convertisse; Aegyptios omnino in vetere testamento non multum valuisse inde apparere, quod in aliis libris nullum vestigium eorum inveniatur.

Ad p. 78. l. 25. — D. Herzog, Die Sprüche des Amen-em-ope und Proverbien Kapp. 22, 17—24, 35 (Zeitschrift für Semitistik und verwandte Gebiete VII, 1929, 124—160).

Pag. 15. l. 23 legendum est: I, 22—31. Pag. 23. l. 19: H. Jensen. Pag. 54. l. 20: Neh 13, 24.

Ex multis praesidiis doctrinae praeter ea, quae iam allata sunt, hic nonnulla commemorentur.

Albright W. F. Egypt and Palestine in the third millennium (Sellin-Festschrift, hrsg. von *A. Jirku*, Leipzig 1927, p. 1—12).

Alt A. Ägyptischer Kultureinfluß auf Palästina-Syrien (*M. Ebert*, Reallexikon der Vorgeschichte I. Berlin 1924, p. 74—76). Babylonischer Kultureinfluß auf Palästina-Syrien (ib. p. 315—317).

Barton A. G. Palestine before the coming of Israel (BW, XXVIII, 1906, 360—373).

Baynes N. H. Israel among the nations. An outline of Old Testament history. London 1927.

Berry G. R. The Old Testament among the Semitic religions. Philadelphia 1910.

Bezold C. Die babylonisch-assyrische Religion (Die Kultur der Gegenwart, ihre Entwicklung und ihre Ziele, hrsg. von *P. Hinneberg*, I, III, 1. p. 39—50. Berlin-Leipzig 1906).

Bilabel F. Geschichte Vorderasiens und Ägyptens vom 16.—11. Jahrhundert v. Chr. (*J. Geffcken*, Bibliothek der klassischen Altertumswissenschaften III, 1) Heidelberg 1927.

Brewer W. Egypt and Israel. An inquiry into the influence of the more ancient people upon Hebrew history and Jewisch religion and some investigation into the facts and statements made as to Jesus of Nazareth. Cedar-Rapids 1911.

Büdinger M. Egyptische Einwirkungen auf hebräische Culte (Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften in Wien, Phil.-hist. Kl. LXXII, 1872, 451—480; LXXV, 1873, 7—59).

Clay A. T. Light on the Old Testament from Babel. Philadelphia 1907.

Condamin A. in Dictionnaire apologétique de la foi catholique II[4] (Paris 1909) p. 328—390.

Cook A. St. The religion of ancient Palestine in the second millennium b. C. in the light of archaeology an the inscriptions. London 1908.

Delaporte L. Mesopotamia. The babylonian and assyrian civilisation. London 1925.

Delitzsch Frd. Babel und Bibel. Vortrag gehalten am 13. Januar 1902. Neu bearbeitete Ausgabe. Leipzig 1921.

Dufourcq A. Histoire comparée des religions païens et de la religion juive.[3] Paris 1908.

Dürr L. Die Einzigartigkeit der israelitischen Religion (Theologie und Glaube XIII, 1921, 129—137).

Eberhard O. Die neuesten Ausgrabungen in Palästina und ihr Ertrag für die kanaanitische Religion (Glauben und Wissen VI, 1908, 62—69. 97—102. 129—137).

Fimmen D. Die kretisch-mykenische Kultur[2]. Leipzig-Berlin 1924.

Flinders Petrie W. M. The status of the Jews in Egypt. London 1922.

Friedrich T. Israel und seine Religion im Rahmen der vorderasiatisch-ägyptischen Kultur. Leipzig 1925.

Giesebrecht F. Die Grundzüge der israelitischen Religionsgeschichte[3] (Aus Natur und Geisteswelt 52) Leipzig 1919.

Grant L. The orient in Bible times. Philadelphia 1902.

Gunkel H. Israel und Babylonien. Der Einfluß Babyloniens auf die israelitische Religion. Göttingen 1903.

Hempel J. Westliche Kultureinflüsse auf das älteste Palästina (Palästina-Jahrbuch XXIII, 1927, 52—92).

Jelito J. in commentatione quadam linguâ Polonicâ scripta (Slady kultury ludów chetejskich w Palestynie) docuit, quid Hethaei ad cultum humanitatemque incolarum Palaestinae contulerint (Przeglad Teologiczny VIII, 1927).

Jeremias A. Kanaan in vorisraelitischer Zeit (Gesellschaft för Palästina-Forschung, 2. Veröffentlichung) Berlin 1911.

Jirku A. Das Alte Testament im Rahmen der altorientalischen Kulturen (Wissenschaft und Bildung 219) Leipzig 1926.

Johns C. H. W. The relations between the laws of Babylonia and the laws of the Hebrew peoples[2] (The Schweich Lectures 1912) Oxford 1917.

Karge P. Die vorgeschichtliche Kultur Palästinas und Phöniziens[2]. Paderborn 1926.

King L. W. A history of Babylon from the foundation of the monarchy to the Persian conquest. London 1919.

Kittel R. Die Kultur Palästinas in der Zeit vom 16. bis zum 13. Jahrhundert v. Chr. (Progr.) Leipzig 1911.

Knight H. A. F. Nile and Jordan, being the archaeological history of the interrelations between Egypt and Palestine from the earliest times to the fall of Jerusalem in A. D. 70. London 1921.

Köberle J. Die Beziehungen zwischen Israel und Babylonien. Wismar 1908.

König E. Unfragliche Verschiedenheiten der babylonischen und alttestamentlichen Kultur (Die Studierstube VI, 1908, 322—328). Canaan and the Babylonian civilization (ExpT, XXIV, 1912/13, 546—550). Die moderne Babylonisierung der Bibel in ihrer neuesten Erscheinungsform. Stuttgart 1922. Der Selbständigkeitsgrad der althebräischen Kultur (Jeschurun XI, 1924, 420—434).

Kugler, F. X. Im Bannkreis Babels. Panbabylonische Konstruktionen und religionsgeschichtliche Tatsachen. Münster i. W. 1910.

Kyle M. G. Did Israel's culture come from Babylon? (The Sunday School Times LV. 1913, 26. 396 s.).

Landsberger B. Über die Völker Vorderasiens im 3. Jahrtausend (ZA, XXXV, 1923, 215—238).

Langdon S. Relation between Canaan and Babylonia in the Hammurabi epoch (Exp 7. S. X, 128—147).

Landsdell Wardle W. Israel and Babylon. London 1925.

Lehmann C. F. Babyloniens Kulturmission einst und jetzt. Leipzig 1903.

Leuken E. Der Einfluß Ägyptens auf Palästina auf Grund der in Palästina gemachten Ausgrabungen (Diss.) Göttingen 1917.

Lichtenberg R. v. Einflüsse der ägäischen Kultur auf Ägypten und Palästina (MVAG, XVI, 2) Leipzig 1911.

Löhr M. Israels Kulturentwicklung. Straßburg 1911. The religion of Israel in the light of the religions of the ancient east (Bibliotheca sacra LXXVIII, 1921, 295—318). Israel und die Kultur des alten Vorderasiens (Der Morgen I, 1925, 625—637).

Margoliouth G. Hebrew-Babylonian affinities. London 1899.

Meffert F. Israel und der alte Orient (Apologetische Vorträge III) M. Gladbach 1921.

Miketta K. Palästina in der ägyptischen Politik vom Beginne des zweiten vorchristlichen Jahrtausends bis zur Eroberung Kanaans durch die Hebräer (Weidenauer Studien I, 1906, 81—105). Die Amarnazeit. Palästina und Ägypten in der Zeit israelitischer Wanderung und Siedelung (BZF, I, 10) Münster i. W. 1908.

Müller T. A. Palestina som babylonisk kulturprovins (Religionshistoriske Smaaskrifter) Kjobenhavn 1912.

Niebuhr C. Die Amarnazeit. Ägypten und Vorderasien um 1400 v. Chr. nach dem Tontafelfunde von El- Amarna (AO, I, 2) Leipzig 1903.

Nötscher F. Kanaan vor der israelitischen Einwanderung hauptsächlich nach den außerbiblischen Quellen (Theologie und Glaube XVIII, 1926, 535—549).

Peet T. E. Egypt and the Old Testament. Liverpool-London 1922.

Plessis J. Babylone et la Bible (Supplément au *F. Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible, I, 713—849. Paris 1928).

Rogers R. W. The religion of Babylonia and Assyria, especially in its relations to Israel. London 1909.

Rothstein J. W. Beziehungen zwischen Israel und Babylon (Zeitschrift für den evangelischen Religionsunterricht 1905, III, 195—211).

Sayce A. H. The latest discoveries in Palestine: Canaan before the Israelites (BW, XXV, 1905, 125—133). Patriarchal Palestine. Canaan and the Canaanites before the Israelitish conquest. Rev. ed. London 1912.

Thomas J. E. The Old Testament in the light of the religion of Babylonia and Assyria. London 1909.

Thomsen P. Palästina und seine Kultur in fünf Jahrtausenden. Nach den neuesten Ausgrabungen und Forschungen dargestellt[2] (Aus Natur und Geisteswelt 260) Leipzig-Berlin 1917. Ägäischer Einfluß auf Palästina-Syrien (*M. Ebert,* Reallexikon der Vorgeschichte I. Berlin 1924, 44—47).

Vandervorst J. Israël et l'ancien orient[2]. Bruxelles 1929.

Vida G. L. Della, Storia e religione nell' oriente semitico. Rom 1924.

Wardle W. L. Israel and Babylon. London 1925.

Winckler H. Die babylonische Geisteskultur in ihren Beziehungen zur Kulturentwicklung der Menschheit (Wissenschaft und Bildung 15) Leipzig 1907.

Wood J. F. Borrowing between religions (JBL, XLVI, 1927, 98—105).

Wood W. C. The religion of Canaan. From the earliest times to the Hebrew conquest (JBL, XXXV, 1916, 1—133. 163—279).

Zimmern H. Palästina um das Jahr 1400 nach neuen Quellen (ZDPV XIII, 1890, 133—147).

Alia eiusdem auctoris opera

De polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis. XXI et 341 pag. Tres tabulae geographicae additae sunt. Oeniponte, 1908, Wagner.

De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo. XXIX et 191 pag. Oeniponte, 1910, Wagner.

De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae. IX et 149 pag. Oeniponte, 1911, Vereinsbuchhandlung.

De diis gentilium quid sacrae litterae veteris testamenti iudicent. XI et 198 pag. Oeniponte, 1912, Vereinsbuchhandlung.

Archaeologia biblica. XVIII et 824 pag. Viginti tres imagines additae sunt. Oeniponte, 1917, Wagner.

Hermeneutica biblica. IV et 158 pag. Oeniponte, 1923, Rauch; Ratisbonae et Neo Eboraci, Pustet.

Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae. XV et 95 pag. Tongerloae (Belgium 1925).

Formae cultus Mosaici cum ceteris religionibus orientis antiqui comparatae. XII et 232 pag. Tongerloae (Belgium) 1927.

Commentationes biblicae: I. *De religione populari Israelitarum.* 62 pag. Oeniponte, 1927, Rauch. II. *De Judaeorum in Elephantine-Syene colonia eiusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus.* 59 pag. ib. 1927. III. *De antiquis Arabiae incolis eorumque cum religione Mosaica rationibus.* 113 pag. ib. 1930. V. *De Sumeriis eorumque cum vetere testamento rationibus.* 92 pag. ib. 1930.

Israelitarum in Aegypto commoratio ex sacris litteris illustrata. 182 pag. Tongerloae (Belgium) 1930.

De Sumeriis eorumque cum vetere testamento rationibus